DE PANYASSIDE

DISSERTATIO

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS AMPLISSIMO
PHILOSOPHORUM ORDINI ACADEMIAE GOTTINGENSIS
PROPOSUIT

Rudolfus Kraufse.

HANNOVERAE 1891.
LIBRARIA HAHNIANA HANNOVERANA.

De dissertatione ad ordinem retulit

Hermannus Sauppe.

Examen d. 1. m. Augusti a. MDCCCXC habitum est.

Ex officina Hannoverana fratrum Jaenecke.

Panyassis, cum apud veteres in numero quinque epicorum optimorum habitus ac tanti a nonnullis aestimatus sit, ut omnium Homero proximus iudicaretur, hodie quoque, sicut tantae auctoritatis memoria postulat, cum laude nominari solet. Sed quia carmina eius tota fere perierunt neque e reliquiis eorum exiguis intellegitur, quo iure tantam apud veteres laudem adeptus sit, quasi oblivioni datus neglegi solet, nisi propter alias res eius mentio facienda est. Ac multo prius nominis splendor evanuit quam pro illa grammaticorum existimatione exspectatur. Nam etiam compluribus saeculis ante temporum antiquorum exitum memoriam Panyassidis adeo obliteratam inveniemus ut ipsum nomen pro obscuro haberetur. Fore igitur ut Panyassidis Heraclea casu reperiatur, cum sperari vix possit, Panyassis obscurus ut nunc est, ita in perpetuum videtur mansurus esse.

Attamen de eo denuo disserere operae pretium est non solum propter eius auctoritatem pristinam, sed etiam quia cum hac quaestione aliae notioresque cohaerent. Ut reliquas omittam, omnium notissimam nomino, quae de Herodoti vita est, cuius multae res disceptari nequeunt, nisi a Panyasside quaestionis exordium sumitur.

Quanquam de eo longe plurima adhuc incerta manserunt. Res enim implicatior est quam ut profici quidquam ab iis potuerit, qui obiter eam attigerunt. Qui autem omnia, quae ad eam pertinent, quaestione complexi sunt,[1]) difficillima quaeque aut parum accurate

---

[1]) Qui postremi totam materiam tractaverunt, eorum quaestiones ante quinquaginta fere annos editae sunt. Recentissimi enim sunt hi:

a) P. Tzschirner, Panyasidis Halicarnassei Heracleadis fragmenta. (Adiecit fragmenta Panyasidis philosophi, poematia pentametra, indices.) Vratislaviae 1842.

b) F. P. Funcke, Neue Jahrb. f. Phil. u. Paed. 39. 2. 1843. p. 131 sqq.

Qui priores rem tractaverunt, apud Tzschirnerum p. 2 enumerantur, cuius quaestio priorum opiniones accurate respiciens nunc longe aptissima est, qua ad materiam cognoscendam utamur, praesertim cum de hac quaestione Funckius l. c. disputaverit res omnes accurate percensens. Quae uterque de Panyasside quaestione priore exposuit, neglexlmus.

Ubi necessarium videbatur, priorum opiniones commemoravimus, quas omnes commemorare sapervacaneum est. De vita quidem Panyassidis nullam fere secuti sumus.

tractaverunt aut plane neglexerunt. Quamvis igitur multum disputatum sit, tamen de plurimis rebus hanc quaestionem relictam habemus nihilo minus obscuram. Locorum enim corruptorum, qui multi eam impediunt, nullus adhuc ita explicatus aut emendatus est ut in testimonium admitti possit. Atque incerta sunt omnia, quae ad vitam aetatemque pertinent. Ne de persona quidem omnia dubitatione carent. Duo enim Panyassides apud Suidam traduntur, poeta et philosophus, inter quos, cum multiplex ac suspecta intercedat similitudo, tamen accuratius in rem nemo unquam inquisivit. Quid vero grammaticorum coniectura ortum sit, quid auctorum vetustorum testimoniis traditum, quid probandum, quid non sit, quid incertum, ea omnia non demonstrata sunt, sed demonstranda. Itaque in quaestionem vocabimus, quaecunque ad Panyassin pertinent. Sola carminum fragmenta omittemus, quorum ab aliis accurate tractatorum rationem habebimus quae quidem necessaria videatur.

Materiae tractan daemaximam partem Suidae locus continet, qui s. v. Πανύασις est. Quem ad supplendum aut corrigendum cum nihil conferant, quae Pseudoeudocia de Panyasside dicit, de quo Suidas multo copiosius atque accuratius exposuit, Eudociae verba non amplius respiciemus. Ut uno conspectu comparari possint, inter se opponimus quae Suidas fert quaeque Eudocia.

Suidas s. v. Πανύασις.

Πανύασις Πολυάρχου, Ἁλικαρνασσεύς, τερατοσκόπος καὶ ποιητὴς ἐπῶν, ὃς σβεσθεῖσαν τὴν ποιητικὴν ἐπανήγαγεν. Δοῦρις δὲ Διοκλέους τε παῖδα ἀνέγραψε καὶ Σάμιον· ὁμοίως δὲ καὶ Ἡρόδοτος Θούριον. Ἱστόρηται δὲ Πανύασις Ἡροδότου τοῦ ἱστορικοῦ ἐξάδελφος. γέγονε γὰρ Πανύασις Πολυάρχου, ὁ δὲ Ἡρόδοτος Λύξου, τοῦ Πολυάρχου ἀδελφοῦ. τινὲς δὲ οὐ Λύξην, ἀλλὰ Ῥοιώ, τὴν μητέρα Ἡροδότου, Πανυάσιδος ἀδελφὴν ἱστόρησαν. Ὁ δὲ Πανύασις γέγονε κατὰ τὴν οή ὀλυμπιάδα. κατὰ δέ τινας πολλῷ πρεσβύτερος· καὶ γὰρ ἦν ἐπὶ τῶν Περσικῶν. Ἀνῃρέθη δὲ ὑπὸ Λυγδάμιδος τοῦ τρίτου τυραννήσαντος

Eudocia s. v. Πανύασις.

Πανύασις, Πολυάρχου, Ἁλικαρνασσεύς, ποιητὴς ἐπῶν καὶ τερατοσκόπος. ὃς σβεσθεῖσαν τὴν ποιητικὴν ἐπανήγαγε.

Γέγονε κατὰ τὴν οή ὀλυμπιάδα, κατὰ δέ τινας ἐπὶ τῶν Περσικῶν. Ἀνῃρέθη ὑπὸ Λυγδάμιδος τρίτου τυραννήσαντος

ʽΑλικαρνασσοῦ. Ἐν δὲ ποιηταῖς τάττεται μεθ' Ὅμηρον, κατὰ δέ τινας καὶ μεθ' Ἡσίοδον καὶ Ἀντίμαχον. Ἔγραψε δὲ καὶ Ἡρακλειάδα ἐν βιβλίοις ιδ' εἰς ἔπη ,θ. Ἰωνικὰ ἐν πενταμέτρῳ, ἔστι δὲ τὰ περὶ Κόδρου καὶ Νηλέα καὶ τὰς Ἰωνικὰς ἀποικίας, εἰς ἔπη ,ζ.[1])

Πανύασις, ʽΑλικαρνασσεύς, νεώτερος, φιλόσοφος, περὶ ὀνείρων βιβλία β'.

ʽΑλικαρνασσοῦ. Ἐν δὲ ποιηταῖς τάττεται μεθ' Ὅμηρον, κατὰ δέ τινας μετὰ Ἡσίοδον καὶ Ἀντίμαχον. Ἔγραψε δὲ καὶ Ἡρακλειάδα ἐν βιβλίοις ιδ' εἰς ἔπη ,θ. Ἰωνικὰ ἐν πενταμέτρῳ, ἔστι δὲ τὰ περὶ Κόδρου καὶ Νηλέως καὶ τὰς Ἰωνικὰς ἀποικίας, εἰς ἔπη ,ζ.

In iis, quae Suidas de Panyasside narrat, tanta rerum varietas exsistit, quanta in Suidae vitis plerumque exilibus esse non solet. De vita enim exponuntur, quae ad patrem et cognatos, ad patriam, ad aetatem, ad mortem pertinent. Nec parvus est numerus earum rerum, quae de Panyasside scriptore feruntur. Immodice igitur mutilata, etsi nonnihil omissum aut depravatum esse apparebit, Panyassidis vita a Suida tradi non videtur. Tantopere vero deminutam, ut in eam inquirere infructuosum sit, quaestionis materiam accepisse omnino non videmur.

Non neglegendus est Panyassis alter, qui minor, philosophus, Halicarnasseus, de somniis librum scripsisse fertur. Quare quomodo quaestio implicetur, nonnullis verbis exponendum est, antequam in eam intramus.

---

1) Quos locos depravatos esse quosque per se non depravatos inepti aliquid habere demonstrabimus, eos hoc statim loco enumerare opportunum videtur. Simul addimus, quomodo a nobis emendati sint aut quid inepti habeant.

A. Verba Δοῦρις . . . . Θούριον nunc inepto loco collocata quondam post verbum ʽΑλικαρνασσεύς locum tenuisse putandum est. cf. p. 78.

B. Verba ὁμοίως δὲ καὶ Ἡρόδοτος Θούριον mutanda sunt. Corruptum est verbum Ἡρόδοτος, cuius loco scribimus Ἡρόδοτον τόν. Ad Verba ὁμοίως . . . Θούριον explananda quondam locus additus fuit, qui nunc omissus est. Supplenda sunt verba ὃς ἐν Σάμῳ μὲν διέτριψε φυγὰς ὤν, ἐκ δὲ ʽΑλικαρνασσοῦ γέγονεν vel similia. cf. p. 18. 19.

C. Verba Πανυάσιδος ἀδελφὴν ἱστόρησαν ita corrigenda sunt, ut Panyassidis nomine mutato scribatur Πολυάρχου. cf. p. 49. 50.

D. Inepte verba ἦν ἐπὶ τῶν Περσικῶν cum iis quae antecedunt verbis καὶ γάρ coniuncta sunt, quae verba, quamvis perversa sint, tamen mutari aut deleri non debent. cf. p. 20—22. 30. 33—35. 38.

E. Post verba Λυγδάμιδος τοῦ exciderunt verba ἀπ' Ἀρτεμισίας. cf. p. 25.

F. Verba ἔγραψε δέ κτλ., quibus additum verbum καί nunc ineptum se praebet, ex scriptore sumpta sunt, qui ante ea librum περὶ ὀνείρων inscriptum commemoravit. cf. p. 59.

Quoniam Suidas Panyassides tradit duos, de quibus diversa feruntur, primo res, nisi quis accuratius eam consideraverit, nullam dubitationem videtur habere. Philosophus enim altero posterior fuisse et de somniis librum scripsisse fertur, cuius, ubi de poeta res est, mentio fit nulla. Etsi autem poeta simul prodigiorum interpres nominatur, in quo somniorum peritia exspectanda est, tamen illum de somniis librum ei attribuere propterea veremur, quod philosophus eum scripsisse dicitur. Sed quo accuratius inter se comparaveris, quae de poeta et de philosopho traduntur, eo res incertior videbitur. Ac duplex quidem suspicio erit, cum incertum videatur, utrum poeta a philosopho perperam distinctus an cum eo confusus sit. Unam enim utriusque personam esse putaveris, quod uterque Halicarnasseus nominatur, uterque prodigiis, quibus somnia adnumeranda sunt, operam dedisse fertur. Cum vero de poetae aetate duae veterum opiniones fuisse eaeque inter se multum differre (πολλῷ πρεσβύτερος) dicantur, nihili videtur illud ducendum esse, quod poeta aetate superior, philosophus posterior dicitur. Huic igitur quod proprium sit nihil relinqui videtur nisi philosophi nomen. Quod cum ad prodigiorum interpretem non magis quadrare quam ad poetam videatur, facile eo adducimur ut poetam cum philosopho confusum suspicemur. Nam prodigiorum interpres ille forsitan fuerit philosophus somniorum interpres. De aetate autem poetae, qui in aetatibus multum distantibus ponatur, dissensio potuit eo oriri, quod Panyassis minor cum poeta confusus est. Et quoniam et de patre et de patria poetae diversa traduntur, haec opinio comprobari videtur. Quoniam igitur viae patere tres videntur, tam dubia res est ut interim reservatam prorsus neglegere nec prius attingere debeamus quam de vita Panyassidis poetae, quae traduntur, omnia excusserimus, quibus excussis facile erit rem ita iudicare ut cum Panyasside epico somniorum interpres perverse confusus atque idem recte ab eo disiunctus sit.

Materiam divisimus ac disposuimus, ut quaestionis ratio fert. Ac primum quidem disseremus de Panyassidis nomine, tum de iis rebus, quae ad Panyassidis epici patriam, aetatem, genus cognatosque pertinent, deinde Panyassin philosophum tractabimus, denique poetam. Postremo comprehendemus, quae hac quaestione demonstrata sunt.

I. De nomine.

Panyassidis nomen Halicarnassi saepe obvium extra hanc urbem nusquam invenitur nisi Sami, si modo Panyassis ille, quem Duris [1]) commemorat, Samius fuit. Nam ceteri eum Halicarnasseum vocant eamque sententiam probandam videbimus. Panyassides igitur, quotquot commemorantur, Halicarnassei fuerunt, quo nomine et hos ipsos et Salmacitas comprehendimus illorum finitimos et quasi suburbanos. In titulo enim Halicarnasseo, quem Lygdamidis vocare solemus, mnemonum Salmacitarum alter Phormio Panyassidis filius [2]) nominatur, qui filiusne poetae nostri fuerit, maxime dubium est cum alias ob causas tum quia Panyassidis nomen apud Halicarnasseos frequentius videtur fuisse. In titulo enim Halicarnasseo, qui dimidio fere saeculo recentior quam ille putatur, Panyassides commemorantur haud pauci: P. Artemonis f.,[3]) P. Idagygi f.,[4]) P. Demetrii f.,[5]) P. Paraussolli pater,[6]) P. Spareudigi pater.[7]) Illo igitur tempore Halicarnassi, si non plures, at certe tres fuerunt, quibus Panyassis nomen esset. Apud scriptores autem qui Panyassides commemorantur, Halicarnassei item fuerunt. Traduntur enim ab his duo tantum, alter poeta epicus, alter somniorum interpres, quos uno Duride excepto omnes vocant Halicarnasseos.

Nomen, ut extra Cariam non invenitur, linguae Caricae attribui debet, non Graecae. Nam praeterquam quod nec Graece intellegi potest et ipsa specie barbarum se praebet, nominis partes in nominibus Caricis saepius exstant. Initium quidem nominis Παν vel Πανα sine dubio idem est, quod in nominibus Caricis Παναμύης [8]) (cf. Χηραμύης),[9]) Πανάβλημις,[10]) Πανάμαρος [11]) habetur. Ac posterior pars υασσις in nominum Caricorum exitu tam saepe invenitur, ut ipso hoc exitu originis Caricae suspicio moveatur.

Sed enim vario modo hic exitus scribitur. Loco enim σσ literarum non modo σ et ξ, sed etiam Ͳ litera scripta legitur. Nec

---

1) Suidas s. v. Πανύασις.
2) Dittenberger, Sylloge inscriptionum Graec. No. 5. 15.
3) Ibid. No. 6 d. 18.
4) 6. 41.
5) 6. 50.
6) 6. 19.
7) 6. 62.
8) Ibid. No. 5. 12. 30. No. 6. 11.
9) Bull. de corr. hell. IV. p. 485.
10) Ditt. Syll. No. 6. 23.
11) C. I. G. 2719. 2720.

dubium est, quin hae literae omnes ad idem elementum significandum usurpatae sint, cum in eodem nomine scribendo promiscue usurpatae saepius inveniantur. Scriptum enim σσ literis Ἀρύασσις nomen in titulo Halicarnasseo[1]) legitur, atque idem ξ litera Ἀρύαξις scriptum in moneta Carica.[2]) Πανύασσις vero nomen illud elementum, quod ante ις exitum est, triplici modo scriptum habet. Πανύασις enim forma apud scriptores, ΠανύαΤις in titulo, Πανύασσις et in titulo et in scriptorum libris traditur. Denique σ et ξ literae inter se respondent in nominibus Ἐπιούασις et Ἐπύαξα. Quae nomina et compositione et exitu Caricis tam similia sunt, ut pro Caricis ipsa haberi possint, quanquam in Cilicia reperiuntur. Ἐπιούασις enim, quae nominis forma masculina est, in titulo Ciliciensi[3]) legitur, Ἐπύαξα nomen, quod Xenophon[4]) bis commemorat, reginae Cilicum fuit. Quod autem Ἐπιούασις nomen in ουασις exitum habet, non in υασις, nullius momenti est, cum saepius in nominibus Caricis υ et ου literae inter se commutentur. Ut enim Ὕσσωλος[5]) titulo traditum exstat, ita Οὔσσωλλος,[6]) ut Ὠνζωσσυασός,[7]) ita Οὐασσός[8]) idque nomen eodem titulo, quo illud. Nihil est igitur, quod illa exempla Cilicia pro ineptis aut suspectis habeamus. Itaque tribus in nominibus idem elementum habemus diversis literis significatum idque sic ut inter se respondeant hae literae:

1) σσ et ξ.
2) σ et Τ et σσ.
3) σ et ξ.

Unde cum non minus quattuor literas fuisse appareat, quibus unum illud elementum, quod in exitu υασσις ante terminum ις est, significari posset, id ab ore Graeco videtur tam alienum fuisse ut literis Graecis satis accurate reddi omnino non posset.

Quo iure apud Cares nomina in υασσις exire multa dixerimus, haec nominum Caricorum series docebit, quae omnia titulis tradita

---

1) Ditt. Syll. No. 6. 10. — d. 16. 25.

2) Cf. Pape, Eigennamen, Mionnet, déscr. de médailles antiques. Suppl. VI. 505. Nomen nihil miri habere hac quaestione apparebit.

3) C. I. G. 4410 bis.

4) Anabas. I. 2. 12 et 25.

5) Ditt. Syll. No. 6 c. I. 4. 38. Asper an lenis spiritus scribendus sit, dubium est. Distinctusne appellatione sit apud Cares, item dubium. Litera quidem significatus non est.

6) Ibid. No. 76. 4.

7) Ibid. No. 6. 26.

8) Ibid. No. 6. 30.

eademque in ipsa Caria reperta sunt: Ea enumeramus disposita, quemadmodum exitus υασσις formae diversae postulant, quae sicut supra ostendimus, revera quattuor sunt. Significatur enim elementum, qnod ante terminum ις est, et ξ et σ et σσ et T literis.

1) ξ litera scripta legitur in nominibus Ἀρύαξις [1]) et Βρύαξις.[2]) (cf. Ἐπύαξα nomen reginae Cilicum.)[3])

2. σ litera simplici scripta leguntur nomina Ἀρτύασις[4]) et Ἀφύασις.[5])

3. Duplex σ litera scripta legitur in nominibus Πανύασσις,[6]) Ἀκταύασσις,[7]) Ἀρύασσις.[8])

4. T litera in nomine ΠανύαTις[9]) scripta exstat.

Hanc literam appellatione σ, ξ, σσ literis tam propinquam fuisse, ut eius loco ipsae scribi possent, ex his nominibus, quae modo enumeravimus, facile intellegitur. Atque idem intellegitur e nominibus, in quibus ipsam scriptam habemus. Eorum numerus non magnus est. Kirchhoffius [10]) quidem, quo teste in hac re nemo melior est, nulla alia nisi haec affert: ΠανύαTις, ὈάTαTις, ἉλικαρναTεύς, ΜεTαμβριανοί, θάλαTα. Omnia autem ad illud quadrant, quod de T literae vi atque usu adhuc cagnovimus. Cui literae, ut in θάλασσα nomine σσ literae respondent, in Μεσαμβριανός nomine σ litera, in Ἁλικαρνασσεύς nomine, quod σ litera et duplici et simplici scriptum in titulis legitur,[11]) et σσ et σ literae, ita in Ὀάσσασσις vel Ὀάξασσις vel Ὀάσασις nomine Halicarnasseo et ξ et σσ et σ literae respondent, quae omnes idoneae sunt, quibus in hoc nomine scribendo T literae loco utamur. Compositum est enim ex ασσις suffixo Carico et ex Ὀασσός nomine, quod in vici Halicarnassei Οὐασσός

1) In moneta Carica, cf. Pape Eigennamen.

2) Dittenberger, Sylloge inscr. Gr. No. 77, quinquies.

3) His nominibus addenda sunt nomina Ὀρσεντούαξις C. I. G. 5018, Ψενταούαξις C. I. G. 5020, Ψεντειούαξις C. I. G. 5035, Ψεντούαξις C. I. G. 5008, Ψετούαξις C. I. G. 5010. Quae nomina, cum in titulis Nubicis reperiantur, supra non enumeravi, quanquam Caricis tam miro modo respondent, ut quin Caribus in Nubia habitantibus fuerint, non dubium videatur.

4) Dittenb. Syll. No. 6, semel.

5) Ibid. No. 5, semel. — Accedunt nomina in titulis Ciliciensibus reperta Ἐπιούασις (C. I. G. 4010 bis), et Κιδαμούασις C. I. (G. 4406—8 ter).

6) Ditt. Syll. 6: 19, 41, 50, 52, d 18, d 40. — 7) Ibid. 6. c: 45.

8) Ibid. 6: 10, d 16, d 25. — 9) Ditt. S. No. 5. 15. I. G. A. 500.

10) Studien z. Gesch. d. griech. Alphab. ed. 4. p. 12.

11) Forma σ litera duplici plerumque usurpabatur. cf. Meisterhans, Grammat. d. att. Inschr. ed. 2. p. 75. σ litera simplex scripta legitur 1) C. I. A. I. 229, 19, b (Ἁλικαρνάσιοι), cui formae a Meisterhansio allatae addo has: 2) Bullet. d. Corr. Hell. IV. 398 (Ἁλικαρνασέων). 3) ibid. p. 396.

(= 'Ο϶ασσός) nomine habetur nec diversum videtur[1]) ab urbis Cretensis Ὄαξος[2]) nomine, quod quin Caricum putetur, nihil obstet, quia in Creta quondam Cares habitaverunt. cf. Her. I. 171. — In Οὐασσός autem ('Υασσός, cf. Ὕσσωλλος et Οὔσσωλλος) pro σσ literis σ literam simplicem scribi potuisse nomen compositum 'Ωνζωσσυασός[3]) docet in eodem titulo quo illud traditum. (Ditt. S. 6.) Quoniam igitur T litera in iisdem nominibus scribendis et ξ et σσ et σ literis reddi poterat, probabilissimum quidem est illius literae appellationem eam fuisse ut id ipsum elementum diceretur, quod in υασσις exitu literis Graecis accurate reddi non potuisse vidimus. Nam quibus in nominibus scripta invenitur, ea omnia inter semibarbaros[4]) scripta sunt, quorum illud elementum proprium fuisse iudicandum est. Neque igitur mirum est, quod literae Graecae, quibus id significaretur, complures eaeque uno tempore in usu fuerunt, ut quinto quidem saeculo T literam simul cum ξ et σ et σσ literis usurpatam invenimus. Epyaxa enim regina Cilicum, quae Cyrum minorem adiuverit, quinti saeculi est. Atque in titulo Halicarnasseo, qui in medium hoc saeculum cadit, 'Αφύασις et Ἁλικαρνησσός formae traduntur una cum nominibus Ἁλικαρνασσεύς, Πανύασσις, 'Οάσσασσις T literam scriptam praebentibus.

Itaque quoniam T literam ξ, σ, σσ literis reddi potuisse iterum ac saepius vidimus, nobis quoque Panyassidis poetae quidem nomen scribentibus formae complures quasi ad deligendum nobis permissae sunt. Quam enim nominis lectionem sequi debeamus, dubium non est, cum in titulo Halicarnasseo aut ipsius Panyassidis poetae tempo-

[1]) Res per se verisimilis eo magis comprobatur, quod, quemadmodum, Ὄαξος et 'Αξός nomina Cretica inter se respondent, ita Οὐασσός Carico 'Ασσός Caricum, quod e nomine 'Ασσησσός (cf. Ἁλικαρνησσός et Ἁλίσαρνα) statuendum est.

[2]) De accentu cf. Steph. Byz. s. v. Ἴασος, πόλις Καρίας... καὶ ὀξυτόνως λεγομένη.

[3]) In nominibus Caricis σ literam simplicem scribi posse, ubicunque duplex habetur, tituli satis docent. In uno titulo Halicarnasseo (Ditt. S. 6) praeter Ἄρβησσις formam bis Ἄρβησις forma legitur. (Dittenb. eam semel, Syll. 6 a 42 tradit, bis Haussoullier, Bull. de corr. Hell. IV. p. 298 al. 46. p. 304 al. 12, qui fragmentum det, quod apud Dittenb. deest.) Item σ litera duplex simplici reddita saepius exstat in nominibus, quod in σσωλος exitum habeant. σ litera duplici scripta sunt nomina Οὔσσωλλος D. S. 76. 4; Ὕσσωλλος, Μαύσσωλλος, Παραύσσωλλος, 'Ακταύσσωλλος, Πονύσσωλλος. Ditt. S. 6. Atque haec forma usitatior est. σ litera. simplici scripta leguntur nomina Μαύσωλλος D. S. 77. 3 et Σαρύσωλλος D. S. 6 a 42, 6 c 43, 6 d. 33. Denique non neglegendum est, quod Ἴμβρασσις in Ἴμβαρσις transire potest, (D. S. 6 a 57. 58), Σαρανσός forma tradita (ibid. 6. 39) Σαρνᾶσσός formae statuendae respondet. Errore igitur ut formae Ἁλικαρνάσιοι, Ἁλικαρνασέων, Ωνζωσυασός, 'Αφύασις, 'Αρτύασις σ litera simplici scriptae tradantur, factum esse non potest.

[4]) Traditur T litera quater in titulo Halicarnasseo, semel in titulo Teio, saepissime in monetis urbis Mesambriae, quae in Thracia erat. cf. Kirchhoff, l. c. p. 12.

ribus extremis aut paullo post scripto forma ΠανύαͲις inveniatur, qua ceterae, quaecunque traduntur, aut aliquanto aut multo recentiores sunt. Quamobcausam cum ceterae omnes huic postponendae sint, nihil amplius iudicandum nobis relinquitur nisi quam literam Ͳ literae loco scribamus, quae nobis desit. Huius autem loco et σσ et σ et ξ literas scriptas cognovimus. Atque has omnes in nominibus Caricis quinto saeculo illius literae loco usurpatas esse constat. Sive igitur Πανύασσις sive Πανύασις sive Πανύαξις forma utimur nomen scribentes, recte eam nominis formam reddimus, quae ipsius Panyassidis aetate usurpata ceteris traditis praestat. Neque quidquam interest, qua forma e trium illarum numero utamur, quae omnes aequi sint iuris, ut Ἀφύασις nomen σ litera simplici scriptum in eodem titulo legitur, in quo ΠανύαͲις forma exstat. Neque igitur vitium, sed quasi necessarium illud est, quod apud scriptores [1]) hoc nomen, nisi forte corruptum est, summa cum inconstantia tum Πανύασσις tum Πανύασις scriptum legitur. σ litera duplici equidem nullam aliam ob causam id scripsi, nisi quod ita scriptum sexies in titulo legitur, reliquae formae admittendae titulis non traduntur. Πανύαξις enim forma adhuc nusquam traditum invenitur, Πανύασις forma apud scriptores solos.

Qua de causa in υασσις nomina Carica multa exeant, etiamnunc plane perspicitur. Scimus enim nomen Caricum Ὕσσωλλος [2]) (= Οὔσσωλλος) [3]) fuisse, cui nomini cum in Ἀκταύσσωλλος [4]) nomine Ἀκτα verbum praepositum sit, quod in Ἀκταύασσις [5]) nomine redit, Ὕασσις nomen personale pariter atque Ὕσσωλλος fuisse necesse est. Et traditum exstat illud nomen, quanquam forma paulum differt, in nomine locali Οὐασσός [6]) quod in nomine locali Ὠνζωσσυασός [7]) eodem modo compositum habetur, quo Ὕασσις in Ἀκταύασσις nomine.

In ος Οὐασσός nomen exit, non in ις, quia locale est. Quamquam enim nomina personalia apud Cares plurima in ος exeunt, tamen nullum apud eos masculinum invenies, quod in ις cadens personale atque idem locale sit. At quae nomina personalia generis masculini in ις exeunt, eadem localia in ος exitum habent. Nam nominibus

1) De nominis formis apud scriptores traditis cf. ea quae Tzschirnerus l. c. p. 3. 4 et Ecksteinius (Ersch u. Gruber, Hall. Encycl. Sect. III. pars I, p. 9) collegerunt.

2) Ditt. S. 6 c. 1. 4. 38.

3) Ibid. 76. 4.

4) Ibid. 6. 40.

5) Ibid. 6 c 45.

6) Ibid. 6. 30.

7) Ibid. 6. 20.

personalibus Ὀάσσασσις, Κίσσαμις[1]), Ἄρλισσις[2]) respondent Οὐασσός, Κίσσαμος[3]), Ἄρλισσος[4]) localia. —

Utrum α litera Ὕασσις nominis Ionice redditi in η transierit an servata sit, dubium relinquimus. Aperta quidem res esset, si ασσις exitus pro suffixo illo habendus esset, quod in Ὀάσσασσις nomine exstat et in nominibus localibus ασσος est. Hoc enim non solum ασσις et ασσος formis, sed etiam Ionicis ησσις et ησσος[5]) traditum habemus. At bis idem suffixum in Ὀάσσασσις nomine esse non potest, cuius nominis priorem partem quoniam nominibus Ὕασσις et Οὐασσός reddi vidimus, nihil est, ex quo in iis α literam Ionice in η transisse certe appareat. Neque enim nomen Caricum, quod nominis formam Ὕησσις quoquo modo indicet, ullum invenitur. Si vero ex Ἀσσησός nomine, cuius pars prior in Οὐασσός nomine latere videtur, documentum sumere licet, Ὀάσσασσις et Ὕασσις nomina Ionice dicta sunt Ὀάσσησσις et Ὕασσις.

Plura de Πανύασσις nomine dici non possunt, quin in linguam Caricam adhuc obscurissimam accuratius inquiratur. De ea quae observavimus, alio loco exponemus.

II. De patria.

Halicarnasseus quin Panyassis poeta fuerit, dubitari non potest, etsi Duris eum Samium nominavit.[6]) Halicarnasseus enim non a Suida[6]) solo nominatur, sed etiam a Clemente Alexandrino.[7]) Neque ullam de patria dissensionem esse posse ex eo apparet, quod apud Suidam, cum Duris auctor nominatim commemoretur, auctore omisso Panyassis ita Halicarnasseus declaretur ut hanc opinionem fuisse communem appareat. Quae omnia docent Duridis testimonio rem non incertam fieri, sive falsum est sive opinioni communi omnino non contrarium.

---

1) Nomen Coi fuit. cf. Pape, Eigennamen.

2) Dittenb. Syll. No. 6 d. 6. No. 76. 4. 9 ter.

3) Nomen urbis Cretensis fuit. In Creta quondam Cares sedisse iam diximus.

4) Nomen urbis Caricae fuit. C. I. A. I 235. fr. 67.

5) Cf. nomina Ἁλικαρνησσός (Ditt. Syll. No. 6. 40) et Ἁλικαρνασσός, quae forma longe usitatissima est, — Ἀσσησός Steph. Byz. (cf. Ἀσσησσία Her. I. 19) et Κρυασσός St. B. (cf. Κρυῆς D. S.) — Ἀρβησσις Ditt. Syll. 6. 12. 42 et Κβονδίασσις Ditt. Syll. No. 6 c. 59.

6) s. v. Πανύασις.

7) Strom. VI. 2. 25.

Hoc per se satis constat. Nec minus constaret, etiamsi verba corrupta ὁμοίως δὲ καὶ Ἡρόδοτος Θούριον, quae apud Suidam[1]) de Duridis testimonio adduntur, plane deessent. Intellegemus vero idem his verbis significari, quod de Duridis testimonio iam statuimus, cui addita sint, ne alteri de patria opinioni id obstare falso putaretur.

Sed videamus, num re vera haec sententia verborum sit, quorum ut emendatam formam cognoscamus, a proposito longius nobis discedendum est. Corruptum enim locum esse manifestum est, cum Herodotus nihil usquam de Panyasside commemoraverit. Quae autem ad locum emendandum temptata sunt, probari non possunt. Tzschirneri[2]) enim coniectura, qui verba ὁμοίως καὶ Νυμφόδωρος, Θούριον δέ scribi voluit, mirabilior est quam ut placere cuiquam potuerit. Neque autem Wesselingii lectio, quam nunc omnes sequuntur, probari debet, quanquam dubitari non potest quin forma Ἡρόδοτον ab eo recte restituta sit. Nam si Ἡρόδοτος forma falsa est, Ἡρόδοτον formam scribi necesse est, ne omni sententia locus careat. Qui etsi mutato hoc verbo correctus est, tamen depravatus esse non desinit. Nullam enim sententiam admittit, quae probari queat, quamvis magna subtilitate, ut probabilem aliquam indagarent, nonnulli usi sint.

Heysius[3]) enim Durin Herodoto parum accurate Thurio cognomen indidisse opinans, quod Herodotus non Thurius, sed a patria Halicarnasseus appellandus esset, verba ὁμοίως δὲ καὶ Ἡρόδοτον Θούριον ideo addita esse arbitratus est, ne ullius momenti Duridis testimonium esse videretur. Quod ne totum esset improbandum, Stollius[4]) aliam viam ingressus est sic fere statuens: Durin simili modo de Herodoti ac Panyassidis patria verba fecisse. Quia autem Herodotum Thurium appellasset, eum inde cognomen cepisse, quod Thuriis ille domicilium collocasset. Ex quo intellegi Panyassin a Duride Samium appellatum esse, non quod Sami natus esset, sed quia diutius ibi degisset.

Hae opiniones, quamvis inter se differant, eodem errore ortae sunt. Heysius enim, cum Herodoto apud veteres saepe Thurio co-

---

1) Πανύασις, Πολυάρχου, Ἁλικαρνασσεύς . . . . . . Δοῦρις δὲ Διοκλέους τε παῖδα ἀνέγραψε καὶ Σάμιον· ὁμοίως δὲ καὶ Ἡρόδοτος Θούριον.

2) l. c. p. 11.

3) C. G. L. Heyse, quaestiones Herodoteae, Berol. 1827. p. 16. 17.

4) Zeitschr. f. Altertumswissensch. Halae Sax. 1844. p. 450 seqq.

gnomen fuisse ipse demonstrarit,[1]) tamen in opinione contraria haerens locum interpretatus est, quasi Thurium nemo Herodotum appellasset, quin ab usu communi discederet. Stollius autem documentum inde sumpsit, quod Herodotum opinatus est a nullo Thurium appellatum esse nisi qui Herodotum Thuriis domicilium collocasse significaturus esset. Neutra igitur opinio probari potest, nisi Thurium appellare Herodotum apud veteres inusitatum fuit.

At longe alium in hac re veterum usus se praebet. Quanquam enim apud scriptores posterioris aetatis Herodotus non minus Halicarnasseus quam Thurius appellabatur, tamen diutissime illud cognomen inusitatum, hoc in usu solum fuit. Itaque si Thurium Duris Herodotum appellasset, eodem cognomine usus esset ac ceteri omnes. Neque igitur erat cur in Panyassidis vita de Herodoto supervacaneum illud commemoraretur.

Videlicet si Herodotus in libri sui initio sibi Halicarnasseo cognomen dedisset, quae lectio nunc omnibus fere haud ambigue genuina videtur, illud cognomen inusitatum esse nunquam potuit. Sed Halicarnasseum Herodotus illo loco se appellasse non potest. Atque editiones, quae eo cognomine uterentur, diu nullas fuisse oportet. Nam diu inusitatum id fuisse veterum testimonia docent.

Primum testem Strabonem[2]) affero, qui viros nobiles Halicarnassi natos enumerans Herodotum postea Thurium appellatum esse dicit, quod coloniae Thuriae civis factus esset. Quae verba si nihil amplius sibi vellent, nisi eundem Herodotum Halicarnasseum ac Thurium appellari, locus aliis verbis haberi deberet atque habetur. Certe enim ante Θούριον verbum καί inseri debebat. Quod cum desit, Herodoto Halicarnasseo cognomen oportet Strabonis tempore tam raro datum esse, ut dicere necessarium videretur Herodotum Halicarnasseum a Thurio non diversum esse. Dicturus igitur Strabo erat Herodotum, quod civitatem Halicarnasseam Thuria commutasset, Halicarnasseum nominari desitum esse, idquod re ipsa postulatur, cum Herodotum aequales certe non a patria appellaverint, sed a civi-

---

[1]) p. 70. 71.

[2]) Strabo XIV 2. p. 656. ἄνδρες δὲ γεγόνασιν ἐξ αὐτῆς (Ἁλικαρνασσοῦ) Ηρόδοτός τε ὁ συγγραφεύς, ὃν ὕστερον Θούριον ἐκάλεσαν διὰ τὸ κοινωνῆσαι τῆς εἰς Θουρίους ἀποικίας. Ad civitatis possessionem verba διὰ τὸ κοινωνῆσαι τῆς εἰς Θουρίους ἀποικίας spectare apparet Plutarchi loco collato (de exilio) C. 18: τὸ δὲ Ἡροδότου Ἁλικαρνασσέως ἱστορίης ἀπόδειξις ἥδε πολλοὶ μεταγράφουσιν Ἡροδότου Θουρίου· μετῴκησε γὰρ εἰς Θουρίους καὶ τῆς ἀποικίας ἐκείνης μετέσχε.

tate. Pretio enim atque aestimatione quantopere illorum Graecorum civitas nostrae praestet, non neglegendum est. Hoc igitur Strabonis locus sibi vult: Herodotus Halicarnassi natus est, quanquam Halicarnasseus nunc non appellatur. Postquam enim civis Thurius factus est, ei Thurio cognomen erat.

Quod Strabo de Herodoti cognomine dicit, idem aliis verbis in libro dicitur, quem de Herodoti malignitate inscriptum plurimi Plutarcho tribuunt. Ibi [1]) enim legimus Herodotum, cum ipse se in Halicarnasseorum numero haberet, tamen a ceteris putari Thurium. Unde apparet Herodoto, cum patria eius cognita esset, tamen Thurio cognomen apud omnes fuisse, Halicarnassei cognomine inusitato neminem usum esse, nisi forte cuius intererat cognomine declarari patriam.

Hunc usum obtinere potuisse, si initio libri Herodotei antiquitus Halicarnassei cognomen ante omnium oculos positum esset, cogitari nullo modo potest. Nec magis cogitari potest a Plutarcho illum de Herodoti malignitate librum scriptum esse, si usitata ac cognita illa lectio erat, quam genuinam a Plutarcho declarari videbimus. Immo ut Halicarnassei cognomen repudiaretur consuetudo esse non poterat, nisi quod ipso Herodoti libro aliud cognomen commendabatur. Sic, non aliter fieri potuit, ut Herodotum etiam ii Thurium appellarent, qui eius patriam non ignorabant. Cum vero hic usus oriri non potuerit, si antea unquam Herodoti editiones fuissent, quibus traditis Halicarnassei cognomen pervulgari et in usum scriptorum venire posset, in ipsa prima libri editione Herodoto cognomen oportet fuisse Thurio. [2]) Et profecto mirum esset, si Herodotus, cum civis Thurius factus Halicarnasseus esse desiisset, a patria se appellasset civitatem Thuriam neglegens.

At enim aliquam ob causam, fortasse quod ante Thurios conditos Herodoti liber recitatus esse tradebatur, exstiterunt, qui cognominis traditi loco id scriberent, quod a patria ductum Herodoti codicibus nostris omnibus traditur. Plutarchus [3]) enim videtur

---

[1]) Plat. de mal. Herod. c. 35 ed. Wyttenb. IV. I. p. 486. Ἔδει μὲν οὖν μηδὲ τοῖς μηδίσασιν Ἑλλήνων ἄγαν ἐπεμβαίνειν καὶ ταῦτα Θούριον μὲν ὑπὸ τῶν ἄλλων νομιζόμενον, αὐτὸν δὲ Ἀλικαρνασσέων περιεχόμενον, οἳ Δωριεῖς ὄντες μετὰ τῆς γυναικωνίτιδος ἐπὶ τοὺς Ἕλληνας ἐστράτευσαν.

[2]) Dielsii argumenta eandem opinionem proferentis (Hermes XXII. 1887. p. 440 Annot.) inepta mihi videntur esse. Neque enim Duridis testimonium neque Aristotelis locus documento esse possunt.

[3]) Plut. de exsilio C. 18. ed. Wyttenb. III. 1. p. 437. τὸ δὲ Ἡροδότου Ἀλικαρνασσέως ἱστορίης ἀπόδειξις ἥδε πολλοὶ μεταγράφουσιν Ἡροδότου Θουρίου· μετῴκησε γὰρ εἰς Θουρίους καὶ τῆς ἀποικίας ἐκείνης μετέσχε.

rem in contrarium vertisse multos esse dicens, qui in Herodoti prooemio verba Ἡροδότου Ἁλικαρνασσέως mutarent in Ἡροδότου Θουρίου. Cuius testimonii id haud dubie accipiendum est, quod multi ii fuisse dicuntur, qui Herodotum appellabant Thurium in tradita lectione perseverantes, quam ille quidem secutus est, qui in Aristotelis rhetoricam,[1]) ut orationis, quae εἰρομένη vocatur, exemplum adderet, initium libri Herodotei inseruit. Nimirum lectione Ἡροδότου Ἁλικαρνασσέως libri Herodotei initio proposita, cum Herodotus ipse se Halicarnasseum professus videretur, fieri non potuit quin hoc cognomen, praesertim cum genuina lectione traditum a multis putaretur, in scriptorum usum transiret.

Quo tempore nova haec lectio orta sit, accuratius explorare non audemus; quanquam usitata ac nota fuisse non potest, cum de Herodoti malignitate ille libellus post Catonis necem voluntariam[2]) scriptus componeretur. Quem librum, si Plutarchus non scripsit, tamen post Catonis mortem demum illam lectionem in usum venisse apparet. Sin autem Plutarchus eum re vera scripsit, hanc ipsius Plutarchi tempore in usum venisse necesse est. Potiorem enim et antiquiorem quod Plutarchus eam dixit, nullius momenti est, cum nova haec lectio usu recipi omnino non potuerit, quin potior et antiquior iudicaretur, sicut hodie quoque lectiones genuinae falso

[1]) Arist. rhet. 3. § 9. edit. Berol. vol. II. p. 1409. Ἡροδότου Θουρίου ἥδ' ἱστορίης ἀπόδειξις. Quem locum inepte et pariter ac multa alia manu posteriore in hunc librum insertum esse iam pridem Ad. Schöll (Herodoti versio, Stuttgart 1855. praef. p. 26) declaravit, cuius opinionem probandam esse censeo. Omitto Herodoti verba allata exemplo esse orationi quae εἰρομένη vocatur non posse. Oportebat enim Herodoti prooemium afferri usque ad verba καὶ δι' ἣν αἰτίην ἐπολέμησαν ἀλλήλοισιν, quae verba omnia reddere longum erat. Sed exemplum affertur antea quam Aristoteles dicit, quidnam appellatio λέξις εἰρομένη sibi velit. Ineptus igitur verborum locus est, quibus insuper, cum paullo post occasio inserendi opportunissima fuerit, sententiae explicatio interrumpitur. Ac perversus est verborum ordo, quorum pars posterior manifesto hexametri rythmum reddat. Quae in una re nimis multa vitia sunt quam ut ab Aristotele locus scriptus videatur, quem non ex ipso Herodoti libro sumptum, sed qualis memoria tenebatur, ab aliquo posteriore neglegenter additum si Aristoteles scripsisset, opinio nostra documento gravissimo confirmaretur.

[2]) Ea commemoratur C. 6. Wyttenb. p. 437. Quanto post eam liber scriptus esset, nihil in ipso libro dici ex quo appareret ipse G. Lahmeyer concessit, cum Plutarchi esse librum demonstraturus esset. (De libelli Plutarchei, qui de Herodoti malignitate inscribitur, et auctoritate et auctore, Gotting. 1843. p. 82: De aetate autem scriptoris ex ipso libro non aeque facile est statuere. Nam licet post Caesarem et Catonem vixisse illum necesse sit, vix est in ipsa scriptione quo accuratius definiri videatur.)

corriguntur, cum alia videtur esse potior. Plutarchus igitur scripserit illum librum an alius, in hac re sine ullo incommodo incertum relinquitur. Certum quidem argumentum ad hanc quaestionem disceptandam ex iis, quae Plutarchus de prooemii Herodotei lectione dicit, sumi non potest.

Quos Halicarnasseo cognomen Herodoto dedisse scimus, eorum primi sunt Pergameni. In Herodoti enim statua Pergami nuper reperta, ubi quondam in bibliotheca collocata erat, verba inscripta leguntur Ἡρόδοτος Ἁλικαρνασσεύς, quae regum Pergamenorum aetate (ante 133 a. Chr.) inscripta esse literarum forma constat.[1]) Hoc autem cognomine Pergamenos illo tempore usos esse, non quod usitatum esset, sed quo veram Herodoti patriam significarent, manifestum est. Nam eorum testimonia, qui id usitatum fuisse negant, solo hoc exemplo non refutantur, quod immo ex illis testimoniis existimandum est. Alter, quod sciamus, Herodotum Halicarnasseum appellavit Dionysius, cui ipsi quoque Halicarnassensi cognomen est. Ac post hunc saepius id Herodoto inditum invenitur. Quae res necessaria erat, si prooemii Herodotei verba Ἡρόδοτος Ἁλικαρνασσεύς genuina putabantur. Hanc autem multorum opinionem fuisse oportet, in qua non solum Plutarchum, sed etiam eum fuisse sciamus, qui librum de Homeri genere et vita inscriptum Herodoto supposuit. Hunc enim Halicarnasseum appellavit prooemio ficto libri Herodotei initium imitans.

Sed quamvis hoc cognomen usu reciperetur, tamen alterum ex usu removeri non poterat, dum ipso Herodoti libro pervulgabatur. Quod etiam imperatoris Juliani temporibus tam usitatum fuit, ut ad Herodoti nomen significandum sufficeret. Ipse enim Julianus Herodotum bis sola appellatione fabularum scriptoris Thurii significavit.[2])

Quoniam igitur veterum grammaticorum nemini mirum unquam videri potuit, si Duris Herodotum appellasset Thurium, necesse est

---

[1]) Cf. Altertümer von Pergamon VIII. 1 (die Inschriften von Pergamon ed. Max Fränkel) p. 118. No. 199. Ἡρόδοτο[ς] Ἁλικαρνασσ[εύς]. cf. p. 117, No. 198—203: Unter diesen Nummern sind Reste von Statuenbasen zusammengestellt, welche unzweifelhaft der pergamenischen Bibliothek angehörten. Vgl. Conze, Berichte d. Berl. Akad. 1884, S. 1261, Altertümer v. Pergamon II, S. 68. — De aetate affero Conzii verba (Jahrb. d. K. Preuss. Kunstsammlungen III. Berol. 1882, p. 86. „Den Schriftzügen nach rühren sie alle aus der Königszeit her.“ Qui locus est de inscriptionibus, quarum in numero haec est, quae ad Herodotum pertinet. — De tota re cf. ea, quae infra dicuntur p. 54.

[2]) Julian. Apostat. a) Epist. 22. ὁ λογοποιὸς ὁ Θούριος ὦτα εἶπεν ἀνθρώποις ὀφθαλμῶν ἀπιστότερα. cf. Herod. I. 8. b) Suid. s. v. Ἡρόδοτος: εἴ τῳ πιστὸς ὁ Θούριος εἶναι λογοποιὸς δοκεῖ.

Durin non hoc cognomen Herodoto dedisse, sed aliud. De quo cogitandum sit, Suidae locus ipse docet, qui nullum aliud nisi Samii cognomen admittat. Efficitur autem loci exspectata forma articulo τόν ante verbum Θούριον inserto, qui cum in easdem literas nomen Ηρόδοτον exeat, quod antecedit, facile exidere poterat. Itaque emendati loci sententia haec est:

Panyassis, Polyarchi filius, Halicarnasseus. Eum Duris Dioclis filium nominavit ac Samium, Herodotum vero Thurium illum item.

Pari igitur cognomine Panyassis atque Herodotus a Duride nominati sunt. Atque iam facile intellegitur, curnam de Herodoti quoque patria Duridis opinio in vita Panyassidis commemoretur. Quae cum astrictius composita sit quam ut res alienae propter similitudinem solam in ea afferri potuerint, Herodoti mentionem necessariam fuisse factamque esse oportet ex qua appareret, quid de Panyasside Samio existimandum esset. Existimandum autem quid sit, ex eo efficitur, quod Herodotum natu Halicarnasseum fuisse scimus. Ut enim Herodotus, quem Duris Samium appellaverit, Halicarnassi tamen natus est, ita Panyassin natu Halicarnasseum putare debemus, quippe qui ab aliis Halicarnasseus appellatus a Duride Samius appelletur item atque Herodotus. Ideo igitur Herodoti exemplum allatum est, ut Duridis de Panyasside testimonium contrarium refelleretur. Atque etiam alterum Herodoti exemplo allato apertum est. Fides enim si qua Duridi habenda est, illi ab eo Samii appellari non potuerunt, nisi Sami aliquamdiu degerunt. Herodotum autem Sami degisse constat. Ex quo cum appareat, quomodo Duridis de Herodoti patria error ortus sit, de Panyassidis patria Duris eandem ob causam videtur errasse. Pro falso igitur quoniam Duridis testimonium haberi debet, de Panyassidis poetae patria controversia esse non potest. Itaque excussis verbis ὁμοίως δὲ καὶ Ἡρόδοτον τὸν Θούριον idem repperimus, quod iam supra intelleximus eorum nullam rationem habentes ac sola verba considerantes Π. Πολυάρχου, Ἁλικαρνασσεύς. Δοῦρις δὲ Διοκλέους τε παῖδα ἀνέγραψε καὶ Σάμιον. Quae verba omnia unius grammatici iudicio contineri iam satis apparet.

At enim in eo offendere nemo non potest, quod Herodotus, cum ex eius origine Halicarnassea documentum sumendum esset, non Halicarnasseus appellatus est, sed Thurius. Quin enim natu Halicarnasseus hoc loco non solum intellegendus, sed etiam dicendus sit, nemini dubium videbitur, cum hac re omissa locus obscurus fiat, si quis Herodotum Halicarnassi natum esse et Sami profugum degisse nescit. Haec igitur ipsa omissa esse oportet. Quodsi

post verba ὁμοίως δὲ καὶ Ἡρόδοτον τὸν Θούριον addimus ὃς ἐν Σάμῳ μὲν διέτριψε φυγὰς ὤν, ἐκ δὲ Ἁλικαρνασσοῦ γέγονε vel simile quid, nihil miri aut inepti hoc loco Thurii cognomen habet. Immo quoniam tempus fuit, quo Thurium etiam ii Herodotum appellarent, qui veram eius patriam non ignorabant, hic locus ipse maxime docet, quam illo tempore, cum primum scriptus est, Herodotum Halicarnasseum appellare fuerit inusitatum. Prius enim locum ortum esse quam hoc cognomen scriptorum usu reciperetur necesse est.

Vidimus igitur de patria Panyassidis epici Durin testem reiciendum esse, quod non solum illum, sed etiam Herodotum Samium appellavit. Accedit vero quod dubitandum est, idemne Panyassis ille, quem Duris nominavit, ac poeta noster fuerit. Dioclis enim filium Duris Panyassin dicit. Poetae autem patri Polyarcho nomen fuit. Itaque etsi Panyassin Dioclis filium Sami degisse non est cur negemus, tamen, num Panyassis Polyarchi filius Sami unquam commoratus sit, incertum relinquere debemus.

E Duridis testimonio quantum nobis accipiendum sit, iam demonstravimus. Num autem Duris idem accipi voluerit, restat ut quaeramus. Haec enim quaestio ab illa longe diversa maximi momenti est.

Primo quidem nemini dubium videbitur, quin Samium Duris Panyassin appellaverit, non quod Sami esset natus, sed quia ibi est commoratus. Quae adhuc omnium fere opinio fuit, cum Halicarnasseum Panyassin fuisse sciamus. Id autem si nesciremus, aliter iudicaremus. Nemo enim dubitaret quin Duris neque Panyassin neque Herodotum aliter Samium appellaverit ac plurimi Samii appellantur, quod Samus eorum patria fuit, in qua et nati sint et adoleverint et vitae degerint magnam partem. Quid igitur Duridis testimonium sibi velit, non antea diiudicari potest, quam sciamus, quid de Panyassidis et Herodoti vera patria Duridi compertum fuerit.

Sed locus nullus exstat, quo de ea Duris quidquam dixerit. Suidae enim de Duride locus, quem modo tractavimus, nihil eiusmodi habet. Suidae autem haec verba[1]: μετέστη δ' ἐν Σάμῳ διὰ Λύγδαμιν, etiamsi non grammatici coniectura orta sint, tamen Duridi auctori tribuere nequaquam debemus. De Panyasside quidem dubitari non potest quin Duris nihil usquam tradiderit, quod ad eius originem Halicarnasseam pertineret. Id enim si fecisset, manifestum ac certum fuisset eum Samii appellatione usum esse non de patria cogitantem, sed de peregrinatione. Neque ita opus erat Herodoti

---

[1]) s. v. Ἡρόδοτος.

par exemplum ostendere, ex quo de hac appellatione quid existimandum esset demonstraretur. Quam si ad patriam referri Duris omnino noluit, a grammaticis falso intellectam esse, quasi ad eam spectaret, nemo erit qui sibi persuadeat. Itaque cum Duris de peregrinatione cogitasse nequeat, Samii appellatione non aliter usus est ac plerumque usurpatur. Natu igitur Panyassin Samium fuisse opinatus est.

Ac de Herodoti patria in eadem opinione fuit. Nam Samium vocare atque eundem Halicarnasseum esse scire, quem omnes vocent Thurium, cum ineptius nihil esse possit, Duris non potuit, nisi eum propterea, quod diutius Sami degisset, Samii cognomen meruisse aperte declarasset. Quod si factum esset, Duridis Herodotus Samius, ex quo de eiusdem Panyasside Samio documentum sumeretur, idoneus omnino non fuisset. Nam simpliciter aliquem causa omissa Samium nominare aliud est atque aperte Samii appellationem a domicilio ducere. Contra res veri dissimile nihil habet, si Duris Herodotum propterea Samium appellavit, quod Thuriis eum natum esse non posse sciens inquisivit, quaenam eius patria esset. Scivisse enim Durin non a patria Herodotum Thurii cognomen trahere pro certo habendum est.

Quoniam igitur Duris neque Herodotum neque Panyassin Halicarnassi natum arbitratus est, apparet, quam dubiae illius aetate hae res fuerint, de quibus posteriore aetate nulla dissensio esset. Ex quo intellegimus ante Durin, si omnino inquisitum est, multum quidem in Panyassidis vitam inquisitum esse non posse. Quoniam vero Duris falso non solum Samium, sed etiam Dioclis filium Panyassin nominavit, quem ceteri Polyarchi filium dicerent, dubitandum est, an Duris omnino de Panyassidis poetae persona erraverit. Quo errore facile alter de eiusdem aetate oriri potuit, de qua nunc dicendum est.

III. De aetate.[1])

De Panyassidis aetate apud veteres fuerunt opiniones duae, de quibus apud Suidam s. v. Πανύασις haec feruntur:

ὁ δὲ Πανύασις γέγονε κατὰ τὴν οη' ὀλυμπιάδα· κατὰ δέ τινας πολλῷ πρεσβύτερος· καὶ γὰρ ἦν ἐπὶ τῶν Περσικῶν.

1) Hanc quaestionis partem iisdem fere verbis proximo anno edidi inscriptam: De Panyassidis aetate quid statuerint veteres, adiunctamque programmati gymnasii regii Hannoverani, quod dicitur imperatoris Guilielmi. 1890. Eam, cum huic dissertationi insertam ordini philosophorum tradiderim ante quam in publicum ederetur, venia data hoc loco refero ne rei explicatio interrumpatur.

Locus dubitationem magnam habet, quia in verba πολλῷ πρεσβύτερος ea quae sequuntur non conveniunt, quanquam conventura se verbis καὶ γάρ indicant. Nam γέγονε et ἦν verba, cum inter se respondeant, ad eundem aetatis gradum referenda sunt. Numerus autem olympiadis 78 codicum omnium consensu constat. Itaque tantum aetatis discrimen, quantum hoc loco astricte composito verba πολλῷ πρεσβύτερος postulant, verbis ἐπὶ τῶν Περσικῶν nullo modo admittitur, quamvis aliter sint ab aliis intellecta. [1]) Si enim ad Xerxis expeditionem referuntur, quae in ol. 75. 1 cecidit, trium olympiadum discrimen efficitur, quod nimis exiguum est quam ut verbo πολλῷ respondeat. Etiamsi autem propterea, quod Eusebius Arm. et Hieronymus Panyassin ol. 72 4 illustrem haberi dicunt, verba ἐπὶ τῶν Περσικῶν ad annum pugnae Marathoniae referuntur, quae ol. 72. 3 fuit, tamen intervallum satis magnum non efficitur, praeterquam quod hoc loco verba ἐπὶ τῶν Περσικῶν ad illud tempus significandum parum perspicua ac prorsus inepta sunt. Neque vero universa bellorum Persicorum aetas intellegi potest, cum ipse locus huic interpretationi obstet. Nam aetas bellorum Persicorum et tempus olympiadis 78 inter se opponi tanquam contraria tempora non possunt. Quas igitur verborum ἐπὶ τῶν Περσικῶν interpretationes enumeravimus, earum nulla idonea est, qua locus sanetur. Alia autem ne cogitari quidem hoc loco potest. Itaque cum verbum πολλῷ, etiamsi fide dignum iudicandum sit, tamen absurdum videatur, locum aliquo modo depravatum esse oportet.

Hoc tam manifestum est ut pro certo haberi debeat, quanquam excepto uno Rohdio [2]) adhuc nemo locum tractans ad hanc sententiam pervenit. Demonstrare vero, quonam vitio locus corruptus sit, a quo in Panyassidis aetatem inquirentes omnes exordium sumpserunt, nemo unquam conatus est. Quae enim Rohdius protulit, qui ipse rem dubiam existimavit, merae sunt coniecturae. Dici igitur vix opus est, id quod neminem rei gnarum effugere poterat, de Panyassidis aetate omnia adhuc incerta fuisse.

---

[1]) Ad expeditionem Xerxis ea rettulit E. Rohde, Rhein. Mus. 33, p. 207 (Γέγονε in den Biographica des Suidas). De tempore pugnae Marathoniae cogitandum esse censuit Ferd. Naeke, Choerili quae supersunt p. 15. Hunc secutus est P. Tzschirnerus, l. c. p. 16. Aetatem bellorum Persicorum verbis significari opinatus est Ad. Bauer, Herodots Biographie p. 14. Quae commentatio et inter relationes class. phil. ac hist. acad. Vindob. anni 1878 (Vol. 89, p. 391 sqq.) et separata exstat.

[2]) l. c. p. 207. „Es ist nicht möglich, in dieser bereits so vielfach hin und her gewandten Notiz alle Anstösse durch günstige Auslegung zu beseitigen."

At enim quid loci falsum sit, diiudicare difficile est. Verbum enim πολλῷ, quamvis absurdum videatur, tamen num falsum sit, ipso loco incertum relinquitur, qui incerti habeat multum. Itaque ante omnia quaerendum est, num aliis testimoniis verba κατὰ δέ τινας πολλῷ πρεσβύτερος confirmentur. Quo facto reliquum erit ut quaeramus quid sibi velint verba ἐπὶ τῶν Περσικῶν, tum ad quem aetatis gradum hoc loco verbum γέγονε, ad quem verbum ἦν referendum sit, denique num huic loco similes apud Suidam inveniantur, per quos existimare liceat locum depravatum esse verbis καὶ γάρ inepte additis.

Confecta autem quaestione ea rerum condicio erit, ut verba κατὰ δέ τινας πολλῷ πρεσβύτερος aliis testimoniis confirmata accipienda sint, ut verba ἐπὶ τῶν Περσικῶν ad nullum aliud tempus nisi ad Xerxis expeditionem ol. 75 factam referri possint, ut verbum γέγονε hoc loco ad annum natalem, verbum ἦν ad aetatis florem referendum sit, ut inepte ab interpolatore aliquo parum docto ac neglegenti verba καὶ γάρ addita sint, quibus verba addenda ἦν ἐπὶ τῶν Περσικῶν cum eis quae antecedunt coniungerentur. Nam reperiuntur apud Suidam multi de aetate loci, qui e duorum auctorum testimoniis vitiose compositi sint.

Multum quin inter se tempora distent, in quibus Panyassis a veteribus positus est, dubitari nequit. Quae enim de Panyassidis aetate apud veteres dissensio fuerit, etiamnunc satis perspicuum est. Ac duabus tantum in opinionibus dissensio versatur. Tertiam nemo protulit.

Utriusque opinionis testimonia exstant complura. Quorum e numero duo nunc sumimus inter se contraria, e quibus demonstremus, quantum distantibus Panyassis apud veteres aetatibus attributus sit, quidque de verborum πολλῷ πρεσβύτερος fide sit iudicandum. Testimonium alterum est de Panyassidis nece, alterum de Antimacho Panyassidis servo.

Incipimus ab hoc testimonio, quod etsi non traditur quin improbetur ac corrigatur, tamen correctum eandem de Panyassidis aetate opinionem praebet quam improbatum, unde apparet quam inveterata illa opinio fuerit. Locus apud Suidam s. v. Antimachi invenitur. Verba haec sunt: τινὲς δὲ καὶ οἰκέτην αὐτὸν (Ἀντίμαχον) ἀνέγραψαν Πανυάσιδος τοῦ ποιητοῦ· πάνυ ψευσάμενοι· ἦν γὰρ αὐτοῦ ἀκουστὴς καὶ Στησιμβρότου.

De Panyassidis aetate locus testimonium continet triplex. Ille enim fuisse dicitur non solum Antimachi dominus aut magister, sed etiam Stesimbroti aequalis. Quarum opinionum sicut manifesto

communis origo est, ita pariter omnes aetatem Panyassidis indicant, quem omnes doceant in aetate positum belli Peloponnesiaci. Confecto enim hoc bello Antimachus aetate floruit, laude floruit Stesimbrotus huius belli initio. Nec dissensio videtur ulla de eorum aetatibus fuisse, de quibus quae nobis traduntur optime inter se quadrant.

Id ut de Antimachi aetate demonstremus, exordium a Suidae verbis sumimus, quae s. v. Antimachi leguntur: γέγονε δὲ πρὸ Πλάτωνος. Ea falso intellegerentur, si quis ex iis ipsis documentum sumens Antimachum ante Platonis aetatem vixisse arbitraretur. Nam γέγονε verbum, cum apud Suidam de aetate nihil amplius significet nisi haberi aliquem tempore quodam sive natum sive aetate florentem sive omnino aequalem, [1]) ad totam aetatem non spectat. Etiamsi autem hoc verbum plane neglegimus haud scientes an quondam ad olympiadis numerum nunc omissum pertinuerit, tamen nihil postulat ut ad totam Platonis aetatem verba πρὸ Πλάτωνος [2]) referamus, quae immo nihil aliud sibi volunt nisi Antimachum aetate fuisse Platone superiorem. [3]) Qui enim πρὸ Πλάτωνος fuit, eundem Platonis aequalem fuisse posse similia Suidae exempla docent, quorum duo affero. De Polemone oratore Suidas s. v. dicit: ἦν δ'ἐπὶ Τραιανοῦ καὶ μετ' αὐτόν, de Potamone autem philosopho: γεγονὼς πρὸ Αὐγούστου καὶ μετ' αὐτόν. Nequaquam igitur opus est arbitrari Antimachum ante Platonis aetatem vixisse. Cum vero Antimachum Platonis aequalem fuisse et ab eo maximi aestimatum esse sciamus, intellegimus, quam ob causam, quae inter eorum aetates ratio intercedat, omnino commemoretur. Unde apparet, quid verba πρὸ Πλάτωνος sibi velint.

Platonis enim in aetate Antimachi significanda ratio haberi non potuit, nisi quod eorum necessitudo quaedam ferebatur. Quae autem de ea narrabantur, ex iis ipsis apparebat Antimachum fuisse aetate

---

[1]) Hoc apparet ex iis quae Rohdius de hac re disseruit ac collegit. (Rh. M. 33.)

[2]) cf. Suid. s. v. Simonidis Iul.: μετὰ Στησίχορον τοῖς χρόνοις. Verbum ἦν vel γέγονε abest. — s. v. Philagrii: τοῖς χρόνοις μετὰ Γαληνόν. s. v. Aesopi: τοῖς χρόνοις πρὸ Πυθαγόρου.

[3]) Aliis locis apud Suidam ipsa verba πρεσβύτερος et νεώτερος habentur. cf. s. v. Stesichori: τοῖς δὲ χρόνοις ἦν νεώτερος 'Αλκμᾶνος τοῦ λυρικοῦ. s. v. Protagorae: καί πρεσβύτερός ἐστι Πλάτωνος. cf. quae leguntur s. v. Herodiani, Pisandri, Characis, Philemonis, Achaei. Num quid intersit, utrum in Suidae vitis verbis πρό τινος an πρεσβύτερός τινος aetas significetur, dubitandum est. Nam verba πρό τινος, μετά τινα et quae eiusmodi verba sunt ita intellegi, ut tempus ab anno natali aut a morte computari debeat, saepe omnino non possunt, quod hi aetatis termini aut incerti erant aut parum noti.

superiorem. Plutarchus[1]) enim narrat Platonem, cum Antimachus et Niceratus coram Lysandro carminibus inter se certarent, adolescentem affuisse et Antimachum superatum, quem admiraretur, consolatum esse. Ac superstitem Antimacho Platonem fuisse ex eo apparebat, quod Plato illum admirans Heraclidi Pontico persuasisse narrabatur, ut Antimachi mortui carmina colligeret.[2])

Propterea igitur Antimachus πρὸ Πλάτωνος fuisse dicitur, quod in his narratiunculis aetate superior Platone habetur. In quibus quae ad Antimachi aetatem pertinent, non solum inter se concinunt, sed etiam cum reliquis testimoniis de Antimachi aetate acceptis. Plato enim natus est ol. 88. 1. Commissio autem, quam in Lysandri honorem Antimachus et Niceratus habuerunt, circa ol. 94 habita videtur esse, id est circa finem belli Peloponnesiaci, cum Lysander summa gloria floruit. Nam eidem olympiadi Antimachum aetate florentem Apollodorus[3]) ascripsit, cuius ratio ad tempus illius commissionis videtur applicata esse. Apollodorus autem aetatis florem in quadragesimo vitae anno ponebat. Quodsi tempus natale Antimachi in ol. 84 ponendum est, hic quattuor olympiadibus superior Platone fuit. Quam in rationem illud quoque convenit, quod Antimachus Stesimbroti auditor fuisse dicitur.

Stesimbrotus[4]) enim, si veterum testimonia sequimur, Cimonis[5]) et Periclis[6]) fuit aequalis et Nicerati Atheniensis[7]) magister, Niciae filii, quem cum (cf. Krüger, Hist. phil. Stud. II, 291) ol. 89. 1 (424) adolescentulum ad arma gerenda idoneum fuisse sciamus, Stesimbrotum audisse multo ante ol. 88 non potest. Librum autem, quem de Cimone, Thucydide, Pericle scripsit, Stesimbrotus ante mortem Xanthippi Periclis filii ol. 87. 3 peste abrepti, quem mortuum ipse

1) Plut. vit. Lysand. c. 18: Πλάτων δὲ νέος ὢν τότε καὶ θαυμάζων τὸν Ἀντίμαχον ἐπὶ τῇ ποιητικῇ βαρέως φέροντα τὴν ἧτταν ἀνελάμβανε καὶ παρεμυθεῖτο τοῖς ἀγνοοῦσι κακὸν εἶναι φάμενος τὴν ἄγνοιαν ὥσπερ τὴν τυφλότητα τοῖς μὴ βλέπουσιν.

2) Heracl. Pont. ap. Proclum ad Plat. Tim. I, p. 28: Ἡρακλείδης γοῦν ὁ Ποντικός φησιν ὅτι τῶν Χοιρίλου τότε εὐδοκιμούντων Πλάτων τὰ Ἀντιμάχου προὐτίμησε καὶ αὐτὸν ἔπεισε τὸν Ἡρακλείδην εἰς Κολοφῶνα ἐλθόντα τὰ ποιήματα συλλέξαι τοῦ ἀνδρός. Platonis Antimachum admirati iudicium et a Duride et a Callimacho reprehensum esse Proclus pergens narrat.

3) Diod. XIII, 108: καθ' ὃν δὴ χρόνον (ol. 94, 1) καὶ Ἀντίμαχον τὸν ποιητὴν Ἀπολλόδωρος ὁ Ἀθηναῖός φησιν ἠνθηκέναι.

4) cf. F. H. G. II, p. 52.

5) Plut. Cim. c. 4: περὶ τὸν αὐτὸν ὁμοῦ τι χρόνον τῷ Κίμωνι γεγονώς.

6) Athen. XIII, p. 589 d: κατὰ τοὺς αὐτοὺς αὐτῷ (Περικλεῖ) χρόνους γινόμενος.

7) Xenoph. Symp. III, 6: Σὺ δὲ Στησιμβρότῳ τε καὶ Ἀναξιμάνδρῳ καὶ ἄλλοις πολλοῖς πολὺ δέδωκας ἀργύριον ὥστε οὐδέν σε τῶν πολλοῦ ἀξίων λέληθε.

commemoret, scripsisse non potest.[1]) Aetati igitur belli Peloponnesiaci Stesimbrotum coniunctum habemus, cuius initium in ol. 87 ponitur. Itaque temporis ratio non obstat, quominus Antimachus fuerit Stesimbroti auditor, quem ol. 84 fere natus audisse ante ol. 88 non potest.

Panyassis igitur nec dominus nec magister Antimachi esse potuit, quin ultra ol. 88 vitam extenderet. Neque necessarium est arbitrari eum Antimachi magistrum senem fuisse. Immo, qui eum aetate tum floruisse putarent, fuisse apparebit.

At qui idem Antimachi magister aut dominus fuisse potest, quem interemisse fertur Lygdamis tyrannus? Qui quoniam tertius civitatis Halicarnasseae tyrannus dicitur,[2]) haud dubie idem existimandus est, quem Suidas alio loco[3]) tertium ab Artemisia tyrannum Halicarnasseum nominat. Unde apparet apud Suidam s. v. Πανύασις, ubi de huius nece locus est, verba ἀπ' Ἀρτεμισίας excidisse et ante verbum τρίτου inserenda esse. Nam Artemisiam Halicarnassi non rerum potitam esse, sed dominatum a marito mortuo accepisse Herodotus auctor est.[4]) Lygdamis autem ille ab Herodoto expulsus esse fertur.[5]) Atque quo fere tempore id factum sit, Kirchhoffius[6]) ex eo demonstravit, quod in laterculis tributorum Atticis civitas Halicarnassea a tyranni potestate libera habetur. In his enim titulis, cum tyranni Atheniensibus tributa solventes nominatim commemorentur, Halicarnassei tributa solventes ol. 81. 3 (= 454) ac postea ipsi nominantur tanquam cives liberi. Lygdamin igitur ante ol. 81. 3 expulsum esse necesse est.

Dominatum autem Lygdamis multo quidem ante id tempus accepisse nequit. Fertur enim Suida auctore Pisindelidis filius, Pisindelis autem Artemisiae filius,[7]) quem ol. 75. 1 (= 480) iuvenem fuisse Herodotus[8]) commemorat. Quamobrem Lygdamis, etiamsi ante hoc tempus natus sit, tamen multo ante ol. 81. 3 dominatum accepisse non potest.

---

1) cf. Busolt, Griech. Gesch. II, 305. F. H. G. II, 54, frg. 11.

2) Suidas s. v. Πανύασις: Ἀνῃρέθη δὲ ὑπὸ Λυγδάμιδος τοῦ τρίτου τυραννήσαντος Ἁλικαρνασσοῦ.

3) s. v. Ἡρόδοτος: μετέστη δ' (Ἡρόδοτος) ἐν Σάμῳ διὰ Λύγδαμιν τὸν ἀπὸ Ἀρτεμισίας τρίτον τύραννον γενόμενον Ἁλικαρνασσοῦ.

4) Her. VII, 99: ἥτις (Ἀρτεμισία) ἀποθανόντος τοῦ ἀνδρὸς αὐτή τε ἔχουσα τὴν τυραννίδα.

5) Suid. s. v. Ἡρόδοτος: ἐλθὼν δὲ εἰς Ἁλικαρνασσὸν καὶ τὸν τύραννον ἐξελάσας....

6) A. Kirchhoff, Studien zur Gesch. d. griech. Alph., ed. 4. 1887, p. 9.

7) Suid. s. v. Ἡρόδοτος: Πισίνδηλις γὰρ ἦν υἱὸς Ἀρτεμισίας, τοῦ δὲ Πισινδήλιδος Λύγδαμις.

8) Her. VII, 99: καὶ παιδὸς ὑπάρχοντος νεηνίεω.

Haec Kirchhoffii est sententia, quae nec reicienda nobis videtur esse nec refutata Busolti[1]) argumentis arbitrati Lygdamin anno demum 449 (= ol. 82. 4) expulsum esse. Nam civitatem Halicarnasseam in titulis tributorum Lygdamidis nomine omisso nominari potuisse etiam antea quam Lygdamis expulsus esset, quippe qui titulo Halicarnasseo[2]) se indicaret non civitatis tyrannum ac dominum, sed dynastam potestate circumscripta. Legem enim in illo titulo se praebere civitatis dominam et magistratus eponymos commemorari. Ac priore loco non Lygdamin nominari, sed concionem civium.

Sed nimis multas ac magnas dubitationes haec opinio habet quam ut probari possit. Tyrannum enim Halicarnassi Lygdamin fuisse Suidas ter[3]) dicit. Cuius testimonium, quod nullo modo suspectum et in auctore optimo positum infra videbimus, propter ratiocinationem incertam neglegi non debet. Lygdamin enim dominatum non habuisse ex eo, quod in lege illo titulo tradita civibus postpositus nominatur et una cum his legem constituisse ac iureiurando dato sanxisse[4]) dicitur, non necessario efficitur. Ac nequaquam res expeditur, si Lygdamis, quod dominus illud fecisse non potuerit, id fecisse putatur dynastes potestate circumscripta. Ita enim mutata res nihilo minus quam antea mirabilis est, sed etiam mirabilior et obscurior. De dynasta quidem maxima dubitatio esse debet, qui cur illam legem una cum civibus dederit, cur civibus nominetur postpositus, cur iureiurando se astrinxerit, non intellegitur, si Halicarnassei dynastae potestati ita subiecti erant, ut suis legibus suisque iuribus uterentur. Kirchhoffii enim (p. 7. 10 Ann.) opinio, qui Lygdamin iam expulsum cum civibus, ut suorum res apud eos tueretur, hanc legem constituisse arbitratur, parum probabilis est, quia tyrannus expulsus apud cives, a quibus modo eiectus sit, nihil valere solet. Num vero, qua in urbe prytanes fuerunt eponymi, in ea dominus esse non potuerit, dubitare licet. Neque verisimile est dynastam in legibus civitatis nominatum, in titulis tributorum omissum esse.

Aliter res se habet, si Lygdamin cum in illo titulo nominatus est, Halicarnasseorum et Salmacitarum tyrannum ac dominum fuisse arbitramur. Quae opinio cum titulo nostro optime convenit.

---

[1]) Griech. Gesch. II, p. 91.

[2]) Dittenberger Syll. Nr. 5 cf. Rühl, Philol. 1882, p. 54 sqq.

[3]) s. v. Πανύασις et s. v. 'Ηρόδοτος. Neque vero Herodoti testimonium (VII, 99) neglegendum est, qui Artemisiam τὴν τυραννίδα habuisse dicit.

[4]) cf. tituli verba: κατόπερ τὰ ὅρκια ἔταμον.

De hoc etsi viri docti maxime dissentiunt, cum multa in eo incerta aut obscura sint, tamen omittenti, quae verbis traditis incerta reliquuntur, et consideranti, quae verbis traditis satis patent, mihi id ipsum, quod ad hanc rem pertinet, extra dubitationem videtur esse. Nam certa haec quidem iudicari posse putaverim:

1. Decretum esse ut in civitatibus Halicarnasseorum et Salmacitarum novae fundorum et domorum tabulae fierent. (τοὺς μνήμονας μὴ παραδιδόναι μήτε γῆν μήτε οἰκίας τοῖς μνήμοσιν.)

2. Ius possessionis in tabulis mnemonum relatae saepe dubium fuisse, idquod intellegitur cum e verbis καρτεροὺς δ' εἶναι γῆς καὶ οἰκίων, οἵτινες τότ' εἶχον, ὅτε Ἀπολωνίδης καὶ Παναμύης ἐμνημόνευον κτλ· tum ex eo, quod mnemones, quorum in tabulis relata possessio rata erat, fundos et domos transscribere vetantur. (τοὺς μνήμονας μὴ παραδιδόναι μήτε γῆν μήτε οἰκίας τοῖς μνήμοσν.)

3. Ad lites iudicandas, quae de fundis et domibus impenderent, actionem quandam praescriptam esse, cuius loco 18 mensibus exactis actio brevior fieret. (ἢν δέ τις θέλῃ δικάζεσθαι περὶ γῆς ἢ οἰκίων, ἐπικαλείτω ἐν ὀκτὼ καὶ δέκα μησὶν ἀπ' οὗ τὸ ἅδος ἐγένετο. . . . . ἢν δέ τις ὕστερον ἐπικαλῇ τούτου τοῦ χρόνου τῶν ὀκτὼ καὶ δέκα μηνῶν, ὅρκον εἶναι τῷ νεμομένῳ τὴν γῆν ἢ τὰ οἰκία κτλ.)

4. Decretum esse ut poenis gravissimis velut exsilio sempiterno privandisque bonis afficeretur, qui hanc legem perturbare aut abrogare conatus esset. (τὸν νόμον τοῦτον, ἤν τις θέλῃ συγχέαι ἢ προθῆται ψῆφον, ὥστε μὴ εἶναι τὸν νόμον τοῦτον, τά ἐόντα αὐτοῦ πεπρῆσθω καὶ τὠπόλλωνος εἶναι ἱερὰ καὶ αὐτὸν φεύγειν αἐί· ἢν δὲ μὴ ᾖ αὐτῷ ἄξια δέκα στατήρων, αὐτὸν πεπρῆσθαι ἐπ' ἐξαγωγῇ καὶ μηδαμὰ κάθοδον εἶναι ἐς Ἁλικαρνησσόν.)

5. Pactam hanc legem esse inter duas partes, quarum ab altera steterit Lygdamis, ab altera civitates Halicarnasseorum et Salmacitarum. (τάδε ὁ σύλλογος ἐβουλεύσατο ὁ Ἁλικαρνασσέων καὶ Σαλμακιτέων καὶ Λύγδαμις.)

6. Iureiurando ad hanc legem observandam ac tuendam se Lygdamin astrinxisse ac cives.[1]) (Ἁλικαρνησσέων δὲ τωσσυμπάντων

[1]) Τὰ ὅρκια quo iure Kirchhoffius (p. 6) et alii hac pactione superiora putent, non intellego. Nam ταῦτα verbo apertum est eam constitutam ac propositam iis fuisse, qui τὰ ὅκρια ἔταμον. His igitur verbis ipsam hanc pactionem significari puto ac verbis ὡς γέγραπται ἐν τῷ Ἀπολλωνίῳ item. Qui enim alteram pactionem eamque superiorem fuisse ex iis colligunt, hac pactione quae brevi ante pactione constituta nec postea sublata nec mutata erant ab eisdem iterum ac denuo constituta arbitrantur esse, idquod absurdum ac manifesto perversum mihi videtur.

τ[?]ῳ ἐλεύθερον εἶναι, ὃς ἂν ταῦτα μὴ παραβαίνῃ, κατόπερ τὰ ὅρκια ἔταμον καὶ ὡς γέγραπται ἐν τῷ Ἀπολλωνίῳ, ...

7. Illis poenis, quas supra diximus, non solum cives teneri, sed etiam Lygdamin, si legem perturbare aut tollere conatus esset.[1])

Quibus e rebus cum totam legem eo spectasse appareat ut in civitate perturbata pax atque mutua fiducia restitueretur, facillime intellegitur, qui fieri potuerit ut Lygdamis, cum civium dominus ac tyrannus esset, tamen una cum illis legem daret, ut civibus nominaretur postpositus, ut ipse se iureiurando pariter ac cives astringeret. Lygdamidi enim ut una cum civibus de rebus civitatis legem daret permissum esse non poterat, nisi civitatis fuisset dominus. Nec magis cives cum Lygdamide legem de suis rebus componere potuerunt nisi potestati eius subiecti. Ut igitur legis ferendae partem caperent et antepositi nominarentur, factum esse non potest nisi ipsius tyranni voluntate, qui libertatis specie ficta cives ad legem ferendam ideo convocasse putandus est ut ipsi se ad legem observandam sua sponte astringerent. Iureiurando autem ipse se pariter ac cives astrinxit rerum necessitate coactus, cum aliter mutua fiducia restitui non posset. Quodsi cives in tyranni potestate erant, huic anteponi nullo alio consilio potuerunt nisi ut civium liberorum speciem haberent, quae species pro rerum condicione fingenda erat. Nisi enim sua sponte cives legem tulerunt, periculum erat ne ab iis lex tolleretur, quam tyranni potestatis muniendae ac confirmandae causa latam iudicare debemus. Itaque tyranno prospiciendum erat, ut in lege ferenda cives non solum libero arbitrio uterentur, sed usi etiam viderentur.

Quoniam igitur ipsius legis natura postulare nobis videtur, ut Lygdamin pro civitatis domino habeamus, cui integrum fuerit leges dare civibus et adhibitis et neglectis, eum in laterculis tributorum Atheniensibus nominandum fuisse, si anno 449 demum expulsus esset, tenemus. Itaque cum Kirchhoffio, etsi Lygdamin iam expulsum fuisse, cum illa lex fieret, non recte iudicasse nobis videtur, tamen in eo consentimus ut Lygdamin paullo ante ol. 81. 3 et dominatum accepisse et expulsum esse arbitremur.

Neque vero habemus, cur posteriori tempori haec propterea attribuamus, quod Suidae de Pisindelide et Lygdamide testimonium suspectum sit. Huius enim suspicionis quae argumenta prolata sunt, omnia reici debent. Audiamus igitur, quae prolata sint.[2])

[1]) Quin haec res, etsi ipsis verbis videlicet non dicitur, longe maxima totius legis fuerit, non dubium mihi videtur, quanquam adhuc longe aliter iudicabatur.

[2]) cf. Ad. Bauer, Herodots Biographie. 1878, p. 15. Rühl, Philol. 1882, p. 68.

Artemisiae filio apud Plutarchum[1]) Pigrae[2]) nomen esse. Et dubium videri, filiusne Pisindelidis Lygdamis fuerit. Nam quod Pisindelis Artemisiae filius ol. 75. 1 = 480 tam impubes fuisset, ut matris tutelae subiectus Xerxis expeditioni interesse non posset, Lygdamidis regno vix satis temporis relinqui, cum inter ol. 75. 1 et ol. 81. 3 spatium nimis breve interpositum esset. Quae profecto argumenta sunt inepta ac nulla.

De Pisindelide enim Artemisiae filio nulla dubitatio esse potest, etsi propter Plutarchi verba Pigres ille, qui de murium et ranarum pugna carmen composuisse dicitur, Artemisiae videtur fuisse filius. Nam maxime dubium est, an Plutarchi locus vitiosus sit. Qui enim Pigres apud Plutarchum ὁ 'Αρτεμισίας nominatur, eundem Suidas[3]) ipsis verbis dicit Artemisiae fratrem. Etiamsi autem praeter opinionem nostram Pigres Artemisiae filius fuerit, nihil impediat, quominus Pisindelis quoque fuerit Artemisiae filius. Herodoti enim locus, qui de Artemisiae filio iuvene est, non obstat.

Ad alterum nunc transeo, quod ad Lygdamin pertinet. Qui etiamsi Pisindelidis filius perperam diceretur, tamen eum tertium ab Artemisia Halicarnasseorum tyrannum fuisse constaret. Nullam enim aliam ob causam Pisindelis Artemisiae, Lygdamis Pisindelidis filius fieri poterat, nisi quod post Artemisiam Pisindelis, post hunc Lygdamis tyrannus fuit. Sed nihil est, cur grammatici alicuius errore rem depravatam esse arbitremur, cum male ii Herodotum intellexerint, qui eius testimonio adducti temporis spatium, quod inter ol. 75. 1 et ol. 81. 3 est, brevius esse opinantur quam ut e Suidae testimonio Artemisiae filius Pisindelis, huius filius Lygdamis esse potuerit.

Quid enim de Pisindelide existimandum est impubere matrisque tutelae subiecto? Cum Xerxis expeditio fieret, Artemisae fuisse filium iuvenem, non impuberem ipse Herodotus[4]) testis est perspicuis verbis dicens nulla necessitate coactam Artemisiam Xerxis expeditioni interfuisse. Nam non solum ipsam viro mortuo regnasse, sed etiam

---

1) Plut. de mal. Her. C. 43, ed. Wyttenb. I, p. 509: ὥσπερ βατραχομυομαχίας γινομένης Πίγρης ὁ 'Αρτεμισίας ἐν ἔπεσι παίζων καὶ φλυαρῶν ἔγραψε.

2) Πίγρης, Gen, Πίγρεω cf. Dittenberger Syll. Nr. 6.

3) s. v. Πίγρης: Π., Κᾶρ ἀπὸ 'Αλικαρνασσοῦ, ἀδελφὸς 'Αρτεμισίας τῆς ἐν τοῖς πολέμοις διαφανοῦς, Μαυσώλου γυναικός . . . . . . ἔγραψε . . . Βατραχομυομαχίαν.

4) .Her. VII, 99: τῶν μέν νυν ἄλλων οὐ παραμέμνημαι ταξιαρχέων ὡς οὐκ ἀναγκαζόμενος, 'Αρτεμισίης δέ, τῆς μάλιστα θῶμα ποιεῦμαι ἐπὶ τὴν 'Ελλάδα στρατευσαμένης, γυναικὸς ἥτις ἀποθανόντος τοῦ ἀνδρὸς αὐτή τε ἔχουσα τὴν τυραννίδα καὶ παιδὸς ὑπάρχοντος νεηνίεω ὑπὸ λήματός τε καὶ ἀνδρηίης ἐστρατεύετο οὐδεμιῆς ἐούσης οἱ ἀναγκαίης.

filium ei fuisse iuvenem. Dubium igitur non esse, quin animo audaci atque virili impulsa expeditioni interfuisset, id quod Herodotus demonstraturus erat, cum antea dixerit admiratione dignam Artemisiam esse ut feminam. Provectior igitur aetate filius erat quam ut in matris tutela cogitari possit. Ipsam vero matrem viro mortuo et adulto filio regnasse, quoniam ipsis verbis de tutela nihil significans Herodotus dicit, quo teste in hac re nemo melior esse potest, dubium non est, quin Artemisia dominatum habuerit non ex tutela filii, sed ex lege. Femina enim quod regnum accepit, nihil miri habet, nisi forte consuetudo ac leges obstiterunt, quibus apud Cares feminas a regno non exclusas esse scimus.

Pisindelis utrum Xerxis expeditioni interfuerit an domi manserit, ex Herodoti verbis perspicuum non est. Ex eiusdem de Pythio narratiuncula [1]) si quid de hac re colligere licet, domi mansisse non videtur. Neque enim corporis infirmitate ab expeditione prohibitus esse potest, quoniam Herodoto teste idoneus fuit, qui matris loco classi Halicarnasseae praeesset.

Quoniam igitur Lygdamis compluribus annis ante Xerxis expeditionem natus esse potest, nihil est, cur Pisindelidis filium eum fuisse negemus.

Qui vero grammaticus de his tyrannis Halicarnasseis ea exposuit, quae apud Suidam legimus, rerum Halicarnassearum scientiorem se praebet quam ut, quo tempore Lygdamis expulsus, quo fere Panyassis necatus sit, nescisse videatur. Quodsi veteres Panyassin ante ol. 81. 3 necatum esse compertum habuerunt, apud eos fuisse oportet, qui Xerxis aetati bellique Persici eundem Panyassin attribuerent, quem ab aliis aetati belli Peleponnesiaci attributum esse vidimus. Itaque quoniam veteres eum aetatibus attribuerunt revera multum inter se distantibus, verba κατὰ δέ τινας πολλῷ πρεσβύτερος, quamvis inepte Suidae loco nostro se habeant, tamen fide sunt digna et accipienda.

Nunc videamus, quod tempus verbis ἐπὶ τῶν Περσικῶν significetur, quae ad expeditionem Xerxis primus Rohdius rettulit recte Eusebii Arm. et Hieronymi testimonium neglegens, qui cum Panyassin ol. 72. 4 laude insignem ascripserint, hoc testimonio adducti Naekius et Tzschirnerus de tempore pugnae Marathoniae cogitandum esse censuerunt. Sed opinionem suam Rohdius [2]) non probavit argumentis

---

1) Her. VII. 38. 39.

2) l. c. p. 207. Quanto adiumento in difficillimis his rebus explicandis mihi fuerit ipsius Rohdii quaestio, quae de γέγονε verbi apud Suidam usu est, reticere eo minus velim, quod de quibusdam rebus ab eo dissentio.

usus ineptis. Nam verba γενέσθαι δὲ κατὰ Πανύασιν τοῖς χρόνοις, ἐπὶ δὲ τῶν Περσικῶν ὀλυμπιάδι οε' νεανίσκον ἤδη εἶναι[1]) non intellegenda sunt, quasi loci parte posteriore prior explanetur, cum prior pars ad Choerilum Samium epicum, posterior ad Choerilum Atheniensem comicum spectet, qui et apud Suidam et apud Eudociam cum illo confusus est.[2]) Nec certi quidquam verba ἐπὶ δὲ τῶν Περσικῶν ὀλυμπιάδι οε' docent, dum incertum est, quid verba ἐπὶ τῶν Περσικῶν sibi velint. Nam saepius apud Suidam olympiadis numerus, quamvis ab iis verbis quae antecedunt discrepet, quasi explanandi causa perverse additus est.[3]) Eandem ob causam certum argumentum duci non potest e verbis corruptis, quae s. v. Χάρων leguntur: γενόμενος κατὰ τὸν πρῶτον Δαρεῖον οθ' ὀλυμπιάδι, μᾶλλον δὲ ἦν ἐπὶ τῶν Περσικῶν κατὰ τὴν οε' ὀλυμπιάδα. Addita enim verba οθ' ὀλυμπιάδι cum iis quae antecedunt maxime discrepant. Suidae vero usus ad rem nostram disceptandam nihil valet. Quae enim apud Suidam verborum ἐπὶ τῶν Περσικῶν exempla inveniuntur, non omnia talia sunt ut ex iis ipsis appareat, quod tempus illa verba significent.[4]) Ac per se dubium est, aequalisne apud Suidam, quippe qui aliorum soleat verba reddere, illorum verborum usus omnibus locis sit. Eadem opinio Tzschirnero[5]) obversata est dicenti non Suidam hoc loco verba ἐπὶ τῶν Περσικῶν ad pugnae Marathoniae tempus rettulisse, sed verborum auctorem, quem Suidas sequeretur. Itaque quaerendum non est, quod tempus verbo τὰ Περσικά apud Suidam significetur, sed quod eo significari omnino possit.

Cuius verbi cum talis sit vis ac natura ut, quidquid appellatione rerum Persicarum comprehenditur, eo significari possit, id ad tempus bellorum inter Persas et Graecas gestorum referri potest et cunctorum et complurium et singulorum. Sed quodnam horum temporum intellegendum sit, nisi alio modo planius significatur, pro tanta notionis varietate nemo scire potest. Hoc igitur verbo sive aetas dicenda erat inter seditionem Ionicam et Cimonis mortem interposita sive aetas expeditionum a Dareo et Xerxe in Graeciam factarum sive tempus pugnae Marathoniae, res fieri non poterat quin loci reliquis

---

1) Suid. s. v. Χοίριλος.

2) Hoc infra demonstrabimus. cf. p. 38—40.

3) De hac re infra disseremus. cf. p. 37.

4) Suidae vitas persecutus his locis exempla inveni: s. v. 1. Artemisiae, 2. Chionidis, 3. Choerili, 4. Charonis, 5. Epicharmi, 6. Hellanici, 7. Hippyis, 8. Panyassidis, 9. Phrynidis (κατὰ τὰ Μηδικά).

5) l. c. p. 16.

verbis haec tempora planius significarentur. At de Xerxis bello alius usus esse poterat. Hoc enim, cum bellorum inter Persas et Graecos gestorum longe maximum fuerit et magnitudine reliqua nimis superaverit quam ut aequari cum iis posset, bellum Persicum praecipue appellabatur. Quare fieri potuit ut ad hoc bellum significandum solum verbum τὰ Περσικά sufficeret neque quidquam interesset, utrum res, de qua locus esset, cum illo bello cohaereret necne. Eundem ipsi usum observamus revolutiones quae vocantur rerum Francogallicarum appellantes. Nam etsi complures numerantur, tamen sola appellatione revolutionis Francogallicae nullam aliam significamus nisi omnium maximam neque aliam intellegi volumus, quin eam additis verbis vel toto loco planius significemus. Itaque verbum τὰ Περσικά, ubicunque tanquam certi anni numerus tempus rerum significat, quae nihil ad res Persicas pertineant, ad nullum alliud tempus nisi ad Xerxis expeditionem relatum esse potest ol. 75. 1 susceptam.

Scriptorum usum ad ea, quae explicavimus, respondere haec exempla doceant.

A. 1. Thuc. I, 73. 2: τὰ δὲ Μηδικὰ καὶ ὅσα αὐτοὶ ξύνιστε .... ἀνάγκη λέγειν. Hoc loco verbum τὰ Μηδικά ad expeditiones Darei et Xerxis referri potest, cum paullo post, ubi eadem res exponitur, pugnae apud Marathona et apud Salamina commissae nominentur.

A. 2. Schol. ad Demosth. VII, 1 (76. 4):[1]) ἔοικε δὲ ταῦτα πρὸς τὰ Περσικὰ ἔχειν τὴν ἀναφοράν· διὸ καὶ φθάνει τὸ δεινὸν ἂν εἴη. οἷον· οὐκ ἐφοβήθησαν αὐτοῦ Δαρείου τὰ γράμματα οὐδ' ἃ ἐπέστελλε Ξέρξης, ἀλλ' ἀνῄρουν τοὺς ἥκοντας. Hoc loco cum commemorentur, quae cum expeditione Darei item atque Xerxis cohaereant, ad has expeditiones verbum τὰ Περσικά spectat.

B. Locum, quo verbo τὰ Περσικά tempus pugnae Marathoniae solum significetur, inveni nullum.

C. Appellationem belli Persici propriam fuisse Xerxis belli, quasi solum ea dignum esset, ex his locis apparet.

1. Isocr. Panath. 17: χρόνῳ δὲ ὕστερον γενομένου τοῦ Περσικοῦ πολέμου καὶ Ξέρξους τοῦ τότε βασιλεύοντος τριήρεις μὲν συναγαγόντος ....

2. Isocr. Plat. 23: καὶ γὰρ τοὺς ἡμετέρους προγόνους φασὶν ἐκλιπόντων τῶν ὑμετέρων πατέρων ἐν τῷ Περσικῷ πολέμῳ ταύτην τὴν χώραν.

3. Dion. Hal. de Thuc. iud. (ed. Krüger, p. 185): τοὺς δὲ προελομένους τήν τε χώραν καὶ τὴν πόλιν ἐκλιπεῖν κατὰ τὸν Περσικὸν πόλεμον Ἀθηναίους.

[1]) ed. Dindorf, vol. VIII, p. 171.

4. Dion. Hal. ant. Rom. XI, 1: τοῖς τε γὰρ πολλοῖς οὐκ ἀπαρκεῖ τοῦτο μόνον ἐκ τῆς ἱστορίας παραλαβεῖν ὅτι τὸν Περσικὸν πόλεμον ἵν' ἐπὶ τούτου ποιήσωμαι τὸν λόγον. ἐνίκησαν 'Αθηναῖοί τε καὶ Λακεδαιμόνιοι δυοῖν ναυμαχίαιν καὶ πεζομαχίᾳ μιᾷ.

5. Thuc. I, 23 1.: τῶν δὲ πρότερον ἔργων μέγιστον ἐπράχθη τὸ Μηδικόν· καὶ τοῦτο ὅμως δυοῖν ναυμαχίαιν καὶ πεζομαχίαιν ταχεῖαν τὴν κρίσιν ἔσχε.

6. Arrian. anab. I, 9. 5: ὡς τῆς τε ἐν τῷ Μηδικῷ πολέμῳ προδοσίας τῶν 'Ελλήνων διὰ μακροῦ ταύτην τὴν δίκην ἐκτίσαντες Θηβαίους.

7. Dion. Hal. ep. ad Pomp. p. 37 Kr.: καὶ ἄρξασθαι (Θουκυδίδην) τῆς διηγήσεως μὴ ἀπὸ τῶν Κερκυραιέων, ἀλλ' ἀπὸ τῶν κρατίστων τῆς πατρίδος ἔργων, ἃ μετὰ τὸν Περσικὸν πόλεμον εὐθὺς ἔπραξαν.

8. Dion. Hal. p. 86 Kr.: οἷς ἐπιτίθησι (Θουκυδ.) τὰ ἔργα τῆς πόλεως, ὅσα μετὰ τὸν Περσικὸν πόλεμον ἕως τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου διεπράξαντο.

9. Quae nunc sequuntur exempla idonea sunt, e quibus appareat verbo τὰ Περσικά tanquam certi anni numero tempus rerum significari, quae neque ad bellum Persicum neque ad res Persicas quidquam pertineant.

1. Thuc. I, 14. 1: ὀλίγον τε πρὸ τῶν Μηδικῶν καὶ τοῦ Δαρείου θανάτου, ὃς μετὰ Καμβύσην Περσῶν ἐβασίλευε, τριήρεις περί τε Σικελίαν τοῖς τυράννοις ἐς πλῆθος ἐγένοντο καὶ Κερκυραίοις. ταῦτα γὰρ τελευταῖα πρὸ τῆς Ξέρξου στρατείας ναυτικὰ ἀξιόλογα ἐν τῇ 'Ελλάδι κατέστη.

2. Thuc. I, 41. 2: νεῶν γὰρ μακρῶν σπανίσαντές ποτε πρὸς τὸν Αἰγινητῶν ὑπὲρ τὰ Μηδικὰ πόλεμον. . . .

3. Suidas s. v. Chionidis: διδάσκειν δὲ ἔτεσιν η' πρὸ τῶν Περσικῶν.

4. Suidas s. v. Epicharmi: ἦν δὲ πρὸ τῶν Περσικῶν ἔτη ἕξ.

Cum res iam dubia non sit, ea quoque exempla affere nunc licet, quae, dum incerta res erat, documento esse non poterant.

5. Suid. s. v. Charonis: ἐπὶ τῶν Περσικῶν κατὰ τὴν οε' ὀλυμπιάδα.

6. Suid. s. v. Choerili: ἐπὶ δὲ τῶν Περσικῶν ὀλυμπιάδι οε'.

Quoniam igitur verba nostra καὶ γὰρ ἦν ἐπὶ τῶν Περσικῶν, quae de Panyassidis aetate dicuntur, non aliter intellegenda sunt ac si scripta habeamus verba καὶ γὰρ ἦν κατὰ τὴν οε' ὀλυμπιάδα, iam non difficile est dictu, quid loco nostro sibi velint verba γέγονε et ἦν, qua de re quaestio nunc simpliciter se habet. Nam verba κατὰ δέ τινας πολλῷ πρεσβύτερος accipienda esse vidimus. Ac trium olympiadum intervallum inter ol. 78 et ol. 75 interpositum nimis exiguum est, quam ut verbo πολλῷ respondeat. Oportet igitur verba καὶ γὰρ ἦν

ἐπὶ τῶν Περσικῶν ad alium aetatis gradum spectare atque verba γέγονε κατὰ τὴν οη' ὀλυμπιάδα.

Ad quos autem aetatis gradus spectant? E Suidae quidem usu, qui de verbis γέγονε et ἦν est, nihil certi potest colligi. Haec enim verba per se nihil amplius de aetate significant nisi haberi aliquem tempore quodam vel natum vel aetate florentem vel omnino aequalem. Quamobrem cum ex his verbis ipsis ad quem aetatis gradum referenda sint omnino non appareat, locus in dubio relinquendus est, nisi alia testimonia docent, ad quem aetatis gradum ea verba spectent, quae verbis γέγονε vel ἦν addita tempus significant. Quaerendum est igitur, quem aetatis gradum postulent non verba γέγονε et ἦν, sed tempora in quibus Panyassis hoc loco positus dicitur.

Hoc autem ex iis perspicuum est, quae de Panyassidis aetate iam supra demonstravimus. Hunc enim Antimachi aequalem fuisse natu maiorem alteri dixerunt, alteri a Lygdamide necatum esse, qui ante ol. 81. 3 expulsus multo ante hoc tempus dominatum accepisse non potest. Idem ut verbis mutatis reddamus, Panyassin florentem alteri initio attribuerunt belli Peloponnesiaci, alteri in tempore posuerunt belli Persici. Quae opiniones si olympiadum numeris adhibitis reddendae nobis sunt nihil amplius de Panyassidis aetate traditum habentibus, florentem hunc ascribere olympiadi 87 atque eundem ol. 75 non dubitabimus. In hanc enim bellum Persicum, in illam belli Peloponnesiaci initium cecidit. Sed quoniam Antimachum ante ol. 88 Panyassidis auditorem esse non potuisse vidimus, olympiadis 87 loco 88 ponere malumus. Neque enim hoc violentum est, cum Panyassin in belli Peloponnesiaci initio ob id ipsum posuimus, quod Antimachus eius auditor fuisse dicitur. Itaque si ex illis numeris tempus natale Panyassidis computatione colligimus aetatis florem Apollodori more in quadragesimo vitae anno ponentes, Panyassin natum esse putaverunt alteri ol. 78, alteri ol. 65.

Quid sibi velint tempora, quibus Panyassis apud Suidam ascriptus dicitur, nunc dubium non est. Ad diversos enim aetatis gradus ea referenda esse iam vidimus. Atque olympiadum illi numeri, quos e testimoniis haud ambiguis collectos statuimus, non solum verbis πολλῷ πρεσβύτερος respondent, sed etiam temporibus, quae Suidae loco commemorantur. Unde cum appareat verba ἦν ἐπὶ τῶν Περσικῶν ad aetatis florem, verba γέγονε κατὰ τὴν οη' ὀλυμπιάδα ad tempus natale spectare, ita locum intellegere debemus: Natus est ol. 78. Sed fuerunt qui eum multo superiorem dicerent. Nam aetate floruit ol. 75.

Scilicet violenta est haec interpretatio. Nam contrarias de aetate opiniones ita inter se opponere, ut aetatis flori tempus natale opponatur idque verbis γέγονε et ἦν, quae de aetatis gradu nihil indicant, absurdum est. Nec cogitari potest, qui locum scripsit, eum id dicturum fuisse, quod nos intelleximus. Hoc enim si intellegi voluisset, verbis usus esset significantioribus quam ἦν et γέγονε sunt. Etsi autem haec verba ad eundem aetatis gradum rettulit, tamen locus nihilominus absurdus est, cum trium olympiadum discrimen non tantum sit, ut verbo πολλῷ respondeat. Quare probabile est locum compositum esse ab aliquo nesciente quam olympiadem verba ἐπὶ τῶν Περσικῶν significent. cf. p. 60.

Ita cum res se habeat, quaerendum est, nonne apud Suidam loci huic similes reperiantur. Et profecto quaerentibus nobis permulti se offerunt, quos appareat inepte compositos ac tales esse ut scriptor, quam in olympiadem eae res cadant, quae ut notiores ad aetatem significandam usurpari solebant, scivisse non queat. Qua ignorantia saepenumero factum est, ut ille auctorum suorum de aetate testimonia depravaret tum inserens, quae in locum non convenirent, tum coniungendi causa addens, quae inepta essent, tum ipsa testimonia coniungenda perverse mutans.

Hoc quidem loco satis sit exempla afferre omnium maxime idonea, et quid locus quisque absurdi habeat, quaeque fuerit partium nunc coniunctarum pristina forma, paucis verbis demonstrare.

1. s. v. Anaximenis Milesii: γέγονε ἐν τῇ νε' ὀλυμπιάδι, ἐν τῇ Σάρδεων ἁλώσει, ὅτε Κῦρος ὁ Πέρσης τὸν Κροῖσον καθεῖλεν.

Olympiadi 55. 4 Anaximenes apud Hieronymum ascriptus est. Cum autem Sardes a Cyro captae sint ol. 58, non ol. 55, verba γέγονε ἐν τῇ νε' ὀλυμπιάδι ab iis quae sequuntur separanda sunt. Qui diversa haec testimonia inter se coniunxit, eum nescisse, quo tempore Sardes a Cyro captae sint, manifestum est.

2. s. v. Pyrrhonis: ὃς ἦν ἐπὶ Φιλίππου τοῦ Μακεδόνος κατὰ τὴν ρια' ὀλυμπιάδα καὶ ἐπέκεινα.

Ab ol. 111 regnum incipit Alexandri Magni, non Philippi. Ex quo apparet testimonia genere diversa inter se confusa esse, in quae loci verba ita distribuenda sunt.

A. (γέγονε) κατὰ τὴν ρια' ὀλυμπιάδα.

B. ἦν ἐπὶ Φιλίππου τοῦ Μακεδόνος καὶ ἐπέκεινα.

Quo iure locum ita diviserimus, hi Suidae loci doceant:

a) s. v. Aristoxeni: γέγονε δ' ἐπὶ τῶν 'Αλεξάνδρου καὶ τῶν μετέπειτα χρόνων ὡς εἶναι ἀπὸ τῆς ρια' ὀλυμπιάδος.

b) s. v. Didymi: γεγονὼς ἐπ' Ἀντωνίου καὶ Κικέρωνος καὶ ἕως Αὐγούστου.

c) s. v. Polemonis Laod.: ἦν δ' ἐπὶ δὲ Τραιανοῦ καὶ μετ' αὐτόν.

3. s. v. Phaniae: ἦν δ' ἐπὶ τῆς ρια' ὀλυμπιάδος καὶ μετέπειτα ἐπὶ Ἀλεξάνδρου οὗ Μακεδόνος. Locus simillimus ei est, quem modo tractavimus. Scriptor, si Alexandri regnum ab ol. 111 incipere scivisset, verba tam perverse non collocasset, quae e duobus testimoniis genere diversis videntur confluxisse. Pristinam eorum formam hanc fuisse oportet:

A. ἦν δ' ἐπὶ τῆς ρια' ὀλυμπιάδος.

B. ἦν ἐπ' Ἀλεξανδρου τοῦ Μακεδόνος καὶ μετέπειτα.

4. s. v. Lasi: γεγονὼς κατὰ τὴν νη' ὀλυμπιάδα ὅτε Δαρεῖος ὁ Ὑστάσπου.

Ol. 58 Cyrus apud Persas regnavit, non Dareus, cuius regnum ab ol. 65 incipit. Diversa igitur testimonia tanquam non diversa inter se coniuncta sunt. Qui autem ea coniunxit, inepto verbo ὅτε usus est nesciens, quo tempore Dareus regnaverit. Pristina testimoniorum forma haec videtur fuisse:

A. γεγονὼς κατὰ τὴν νη' ὀλυμπιάδα.

B. ἦν (vel γέγονε) ἐπὶ Δαρείου τοῦ Ὑστάσπου.

5. s. v. Phocylidis: σύγχρονος Θεόγνιδος· ἦν δ' ἑκάτερος μετὰ χμζ' ἔτη τῶν Τρωικῶν ὀλυμπιάδι γεγονότες νθ'.

Phocylides et Theognis, si 647 annis post Troiam captam exstiterunt, quam apud Suidam s. v. Homeri in anno 1184/83 Erathosthenis et Apollodori more poni certum est, non ol. 59 coniungendi erant, sed ol. 60. 4, cui anno in Eusebii versione Armenia Phocylides ascriptus est. [1])

6. s. v. Anacreontis: γέγονε κατὰ Πολυκράτην τὸν Σάμιον τύραννον ὀλυμπιάδι νβ'.

Cum Polycrates tyrannus olympiadi 62 coniungendus sit, non 52, huius olympiadis numerus ad ea verba quae antecedunt referri non debuit. Haec ad aetatis florem, olympiadis numerum ad annum natalem spectare manifestum est. [2])

7. s. v. Timothei Tersandri: ἦν δ' ἐπὶ τῶν Εὐριπίδου χρόνων, καθ' οὓς καὶ Φίλιππος ὁ Μακεδὼν ἐβασίλευεν.

Philippum regnare coepisse ol. 105. 2, Euripidem mortuum esse paullo ante ol. 94 scivisse non potest, qui verba inepta καθ' οὓς κτλ. scripsit. Quorum quae fuerit forma incorrupta nescimus.

---

[1]) Rem exposuit Rohdius Rh. M. 33, p. 169. 170.

[2]) Idem Rohdius iudicavit l. c. p. 190.

8. s. v. Isocratis: γενόμενος ἐπὶ τῆς πς' ὀλυμπιάδος ὅ ἐστι μετὰ τὰ Πελοποννησιακά.

Depravatus hic locus eodem modo est, quo proximus. Verbum enim μετά, quanquam Coraem sequentes omnes fere κατά legunt, tamen satis eo constat, quod verbis κατὰ τὰ Πελοποννησιακά non ol. 86 significatur, sed ol. 87, a qua bellum Peloponnesiacum incipit. Aetatis florem si in quadragesimo vitae anno ponimus, Isocrates ol. 86 natus ol. 96 aetate floruit, quod tempus, cum illud bellum ol. 94 confectum sit, verbis μετὰ τὰ Πελοποννησιακά significatur. Quoniam igitur verba ὅ ἐστι κτλ. perverse pro verbis γέγονε vel ἦν (= ἤκμασε) μετὰ τὰ Πελοποννησιακά sumpta sunt, hic locus eadem cum neglegentia ac temporum ignorantia compositus est, quam ceteris locis cognovimus. Ac manifesta est similitudo inter verba ὅ ἐστι et καὶ γάρ, quibus verbis Suidae de Panyassidis aetate locus corruptus est.

Pristina forma testimoniorum, e quibus locus compositus est, haec fere fuit:

A. ἐγένετο (= natus est) ἐπὶ τῆς πς' ὀλυμπιάδος.

B. γέγονε (= ἤκμασε) μετὰ τὰ Πελοποννησιακά.

9. s. v. Charonis: γενόμενος κατὰ τὸν πρῶτον Δαρεῖον οθ' ὀλυμπιάδι.

Cum ol. 79 in Darei regnum ol. 78 mortui non cadat, verba οθ' ὀλυμπιάδι addere nemo potuit nisi nesciens, quo tempore Dareus regnaverit. Sed quamvis inepte addita sint, tamen Creuzerus numerum οθ' in ξθ' mutare non debuit. Quam enim hoc perversum sit, satis ex iis apparet quae exposuimus.

10. s. v. Ephori: ἦν δ' ἐπὶ τῆς ϙγ' ὀλυμπιάδος ὡς καὶ πρὸ τῆς Φιλίππου βασιλείας εἶναι τοῦ Μακεδόνος.

Olympias 93 verbis πρὸ τῆς Φιλίππου βασιλείας indicari non potest, cum hoc tempus nimis a Philippi regno distet, quod ab ol. 105 incepisse vidimus. De quo tempore cogitandum sit, facile est intellectu, simulatque olympiadi 93 Ephori annum natalem ascriptum esse statueris. Cui opinioni verbum ἦν non obstat. Quodsi Ephorus ol. 103 quadraginta annos natus floruit, ad hoc tempus verba πρὸ τῆς Φιλίππου βασιλείας referri debent, non ad id, quod antea hoc loco dicitur. Quoniam enim supra vidimus, quo tempore Philippus regnaverit, horum locorum scriptorem nescisse, verba ὡς καὶ . . εἶναι ignorantiae eiusdem tribuenda sunt. Duo igitur haec testimonia locus continet:

A. ἦν (= ἐγεννήθη) ἐπὶ τῆς ϙγ' ὀλυμπιάδος.

B. ἦν (= ἤκμασε) πρὸ τῆς Φιλίππου βασιλείας τοῦ Μακεδόνος scil. ργ' ὀλυμπιάδι.

11. s. v. Simonidis Iuletae: γέγονε δ' ἐπὶ τῆς νϛ' ὀλυμπιάδος. οἱ δ' ἐπι τῆς ξβ' γεγράφασιν· καὶ παρέτεινε μέχρι τῆς οη', βιοὺς ἔτη πθ'.

Loci verba, quae tempora et natale et mortis et annorum numerum ita reddunt, ut nulla possit dubitatio esse, nihil inepti habent, ubi primum verba inserta οἱ δὲ ἐπὶ τῆς ξβ' γεγράφασιν eieceris. Quae cum ita collocata sint, ut ad annum natalem referri debeant, dubium non est quin inepte inserta sint. Quo enim tempore Simonides natus sit, cum ipse loco quodam carminum suorum dixerit, ambiguum esse non potuit.[1])

Quoniam igitur in aetate significanda maximae non modo ignorantiae, sed etiam securitatis ille fuit, qui Suidae de aetate locos conscripsit, quicunque inter eos complura testimonia continent, dissolvendi sunt nec fides verbis, quibus haec testimonia inter se coniuncta sunt, ulla habenda est, nisi forte aliis testimoniis confirmantur. Itaque quoniam Suidae loco, qui de Panyassidis aetate est, verba καὶ γάρ nullius momenti ac plane neglegenda sunt, locum e duorum auctorum testimoniis compositum et ita dividendum esse apparet, ut alteri dentur verba ὁ δὲ Πανύασις γέγονε κατὰ τὴν οη' ὀλυμπιάδα· κατὰ δέ τινας πολλῷ πρεσβύτερος, alteri verba ἦν ἐπὶ τῶν Περσικῶν. Quibus in testimoniis quominus verba γέγονε et ἦν ad diversos aetatis gradus referamus, iam nihil est quod obstet.

Duo adhuc testimonia cognovimus, e quibus fuisse appareat qui Panyassidis tempus natale in ol. 78 ponerent. Alterum continebatur Suidae verbis γέγονε κατὰ τὴν οη' ὀλυμπιάδα. Alterum de Panyasside Antimachi domino aut magistro erat. His testimoniis nunc tertium addimus, quod apud Suidam s. v. Χοίριλος Σάμιος invenitur. Traditur his verbis: γενέσθαι δὲ κατὰ Πανύασιν τοῖς χρόνοις, ἐπὶ δὲ τῶν Περσικῶν ὀλυμπιάδι οε' νεανίσκον ἤδη εἶναι.

Priusquam ex his verbis de Panyassidis aetate aliquid statuimus, videndum nobis est, ad quem Choerilorum quadrent, e quibus complures apud Suidam cum Samio confusi sunt. Cuius de aetate quaecunque veterum testimoniis accepimus, in loci partem posteriorem non convenire iam pridem Naekius demonstravit.[2]) Adolescentulus enim si Choerilus Samius ol. 75 fuisset, fieri non potuit ut Herodoti amor diceretur, ut Sami circa ol. 93. 4 Lysandri semper contubernalis esset, ut paullo post ab Archelao rege invitatus in Macedoniam se conferret. Cuius discrepantiae causa, quae adhuc

---

[1]) cf. Rohde, Rh. M. 33, p. 187.

[2]) Choerili quae supersunt p. 19, p. 27, p. 46—50.

omnes effugit, quasi ante oculos posita est, ubi primum ea animadverteris, quae apud Eudociam de Choerilo Samio leguntur. Is enim apud hanc, cum dicatur comoedias[1]) scripsisse, cum Choerilo comico confusus est. In reliquis autem de Choerilis rebus, quamvis perturbatae sint, Eudocia cum Suida convenit. Uterque enim Choerilum tragicum a reliquis Choerilis separatum tractat, uterque Iasseum cum Samio confundit, uterque Choerili comici nomen omittit. Unde cum appareat rem perturbatam esse non ab iis ipsis, sed a Suidae auctore, apud Suidam quoque Choerilum Samium oportet cum comico confusum esse. Confusi igitur apud Suidam Choerili sunt Samius epicus, Atheniensis comicus, Iasseus epicus. Integer ac separatus solus mansit Choerilus Atheniensis tragicus. Horum autem omnium nemo ol. 75 adolescentulus fuisse potest nisi comicus Cratini aequalis.[2]) Nam tragicus iam ol. 70 fabulam docuit.[3]) Samius, quem Sami commorans Lysander ol. 93 exeunte fere semper secum habuerit,[4]) ante ol. 75 natus cogitari non potest. Iasseus Alexandri Magni fuit comes.[5]) Pertinent igitur verba ἐπὶ δὲ τῶν Περσικῶν οε′ ὀλυμπιάδι νεανίσκον ἤδη εἶναι ad Choerilum comicum, non ad Samium.

At verba γενέσθαι δὲ κατὰ Πανύασιν τοῖς χρόνοις in neminem Choerilorum nisi in Samium conveniunt, qui ut epicus Choerilorum omnium solus idoneus fuerit, quem Panyassidis epici aequalem dicerent.

Ad quem aetatis gradum verbum γενέσθαι spectet, natumne Choerilum esse an aetate floruisse an omnino aequalem fuisse declaret, dubium maneat, cum nesciamus, an quondam hoc verbum ad olympiadis numerum nunc omissum pertinuerit. Olympiadis enim

---

1) Eudoc. viol. ed. Flach p. 742: ἔγραψε δὲ ἐπιστολὰς πολλὰς καὶ ἐπιγράμματα καὶ κωμῳδίας. Flachii opinio arbitrati haec verba e vitis quae antecedunt Christodori et Chionidae perperam in Choerilos translata esse sine dubio falsa est. Quod enim haec verba apud Pseudoeudociam leguntur, in Suidae codicibus nostris non item, mirum videri vix potest, cum ad Choerilum Samium relata nimis manifesto inepta sint quam ut ideo omissa esse non possint. Nihil est igitur quod ea quondam apud Suidam lecta esse negemus. Ad Choerilos autem ea pertinere verbo κωμῳδίας certum est quod ut ad Choerilum comicum referamus cum ipsius de Choerilis loci natura tum verba ἐπὶ δὲ τῶν Περσικῶν νεανίσκον ἤδη εἶναι postulant.

2) Hesych. Χοίριλον Ἐκφαντίδος· Κρατῖνος· τὸν Ἐκφαντίδος· οὕτως εἶπεν αὐτὸν τὸν Χοίριλον.

3) Suid. s. v.: Πρατίνας. ἀντηγωνίζετο δ᾽Αἰσχύλῳ τε καὶ Χοιρίλῳ ἐπὶ τῆς ο′ ὀλυμπιάδος.

4) cf. Naeke, p. 46 sqq.

5) cf. Naeke, p. 37 sqq.

numero quin hoc loco Choerili aetas quondam significata fuerit nemo dubitabit, cum ad aetatem significandam verba γενέσθαι κατὰ Πανύασιν τοῖς χρόνοις non sufficiant. Neglegentes igitur verbum γενέσθαι verborum κατὰ Πανύασιν τοῖς χρόνοις solorum rationem habemus, e quibus nihil amplius perspicuum est nisi Choerilum dici Panyassidis aequalem. Hic utrum par aetate an dispar fuerit, verba per se incertum relinquunt, quanquam magnum aetatis discrimen non admittunt, praesertim cum in Suidae vitis aetas minor aut maior verbis νεώτερος, πρεσβύτερος, πρό τινος, μετά τινα τοῖς χρόνοις significari soleat.

Attamen ex illis verbis de Panyassidis aetate aliquid colligi potest, si scimus, quae fuerit Choerili aetas. Is quo tempore natus sit, non fertur. Apud Archelaum regem commorans mortem obiit. Quid praeterea de eius aetate constet, iam supra diximus. Herodoto, cuius amor fuisse et discipulus dicatur, aetate fuit inferior. Olympiadis autem 94 initio annis iam confectus fuisse non potest, cum hoc fere tempore ut Lysandri facinora carminibus efferret eius semper comes fuerit et paullo post in Macedoniam se contulerit.[1]) Hinc satis apparet, quo fere tempore Choerilus natus sit. Cum enim Herodoti tempus natale apud veteres in ol. 74 positus sit, Choerilus ut Herodoti discipulus aliquanto post eam natus putandus est. Nec plus septuaginta annorum senex fuisse potest, cum mortem obiret, quoniam non multo ante eam Lysandro se comitem adiunxit. Itaque Naekius, ut pleno numero uteretur, septuaginta annorum senem eum mortem obisse statuens annum natalem in ol. 77 posuit, quod tempus, ut cum omnibus de Choerili aetate testimoniis convenit, a vero non procul abest. Iam enim, cui olympiadi natus Choerilus ascriptus sit, verba κατὰ Πανύασιν τοῖς χρόνοις nobis indicant, quoniam fuerunt qui Panyassin ol. 78 natum dicerent. Quare apparet Choerilum, quem circa ol. 77 natum esse oportet, eidem olympiadi natali ascriptum esse ac Panyassin, quippe qui eius σύγχρονος fuerit. Nam qui Panyassin, quod circa ol. 80 necatus est, olympiadi 75 florentem ascripserunt, Choerilum eius aequalem nisi inepte dicere non poterant. Qui autem aequales eos dixerunt, in olympiadibus diversis paullumque distantibus eorum tempora natalia posuisse non queunt. Hoc enim si fecissent, utriusque tempus natale oportebat exploratum ac certum fuisse, id quod nemo erit qui credat, praesertim cum de Panyassidis aetate dissensio fuerit. Quoniam igitur oportet fuisse, qui Panyassin

---

1) cf. Naeke, l. c. p. 21—29.

et Choerilum aetate pares factos eidem olympiadi ascriberent, Panyassin florentem rursus in belli Peloponnesiaci initio positum habemus.

Nunc videamus, quot testimonia a contraria parte eorum stent, qui Panyassin florentem in ol. 75 posuerunt. Tria iam supra cognovimus. Primum de Panyassidis nece erat. Alterum continebatur verbis ἦν ἐπὶ τῶν Περσικῶν, tertium verbis κατὰ δέ τινας πολλῷ πρεσβύτερος, quae verba ex alio atque illa fonte hausta esse vidimus. Nunc quartus testis accedit is, qui poesin epicam exstinctam a Panyasside ad vitam reductam esse dixit.[1]) Hoc enim nemo dicere potuit, nisi qui Choerilo eum putavit superiorem. Dixerit forte quispiam ante eundem Choerilum Pigram poetam epicum exstitisse. Cuius ut Artemisiae fratris cum flos sine dubio ol. 75 ascriptus sit, Panyassin eo superiorem fuisse oportere, ut epicam poesin recreasse dici posset. Sed Pigrae nulla est ratio habenda. Tres enim de Panyassidis aetate opiniones fuisse nihil est cur credamus. Ac satis obscurus poeta Pigres fuit, ut optimo iure, ne Panyassidis de poesi epica recreata meritum obscuraretur, neglegi posset.

Consilio, ne quaestio nimis implicaretur, adhuc reservavimus Eusebii Arm. et Hieronymi testimonium[2]), qui Panyassin ol. 72. 4 illustrem haberi ferunt. Quod testimonium, etsi nunc omni momento caret, tamen accuratius tractabimus, quia omnibus adhuc longe maximo videtur impedimento fuisse, quominus de Panyassidis aetate rerum condicionem recte perspicerent.

Nullius momenti hoc testimonium iam esse diximus idque optimo iure dici nobis videtur. Nam Suidae illa de Panyasside verba ἦν ἐπὶ τῶν Περσικῶν ad annum pugnae Marathoniae referre, quam perversum sit, iam supra demonstravimus. Tertia autem de Panyassidis aetate opinio Eusebii testimonio tradi non potest. Nam non plus duas de illa opiniones fuisse ex iis satis apparet, quae apud Suidam de hac re exponuntur. Quoniam igitur illud testimonium oportet ad alterutram opinionem applicatum esse, Panyassin ol. 72. 4 ab iis ascriptum esse apparet, qui florentem in ol. 75 posuerunt. Illustris enim Panyassis ol. 72. 4 haberi non poterat, si ol. 78 natus putabatur.

Sed curnam, si ol. 75. 1 florens ascribebatur, ol. 72. 4 ascriptus est? Rectene an falso huic tempori ascriptus est? Num fieri omnino potuit ut recte ei ascriberetur?

---

1) Suid. s. v. Πανύασις: ὃς (Παν.) σβεσθεῖσαν τὴν ποιητικὴν ἐπανήγαγεν.

2) Eusebii, chronic. II, p. 102. 103 versio Arm.: Panyasus poeta cognoscebatur. Hieronymus: Panniasis poeta habetur inlustris.

Primo dubium videtur, an synchronismi causa ei ascriptus sit, quae Rohdii[1]) opinio est. Sed complures ob causas ea opinio probari non potest. Ecquis enim in aequalium numero fuit, quocum Panyassis illi anno vel olympiadi ascriptus, ut aequalitas significaretur, coniungi potuerit? Nisi Pigres nemo epicus tum fuit aequalis. Ac Pigres quin Artemisiae frater olympiadi 75 item ac Panyassis ascriptus sit, nemo dubitabit. Etiamsi autem florens diverso tempori ascriptus esset ac Panyassis, tamen synchronismo eos nemo coniunxisset, quin Pigram obscurum Panyassidi claro accommodaret, qui ol. 75 floruit. Neque vero olympias 72 et quae circa eam sunt idoneae fuerunt, quibus aequalis vice Panyassis coniungeretur. Nobilitate enim tam insignes, ut cum olympiade 75 vel 87 vel similibus aequari possent, in temporum ratione non fuerunt. Neque tum floruit, quocum Panyassin aequalem coniungi potuisse sciamus. Ita vero aequales synchronismi causa inter se coniunctos esse, ut nullo florente tempori obscuriori ascriberentur, nemo erit qui credat.

Immo qui Panyassin in ol. 75 posuerunt, eosdem significaturos, qui Panyassidi fuissent aequales, nulla alia olympiade nisi 75 usos esse pro certo habere licet. Ipsius igitur rei natura ac ratio postulat, ut Panyassin ol. 72. 4 synchronismi causa ascribi potuisse negemus. Insigne vero hoc tempus in Panyassidis vita ulla re fuisse probabile non est. Nam si insigne fuisset, alia verba legeremus atque ἐγνωρίζετο (Sync. p. 472. 4) et illustris habetur (Hieronym.), quae verba nihil amplius nisi aetatem significant. Panyassis autem florens, qui ol. 75 ascriptus sit, ol. 72. 4 ascribi non poterat, quin hoc testimonium cum illo pugnare videretur. Ac dubitandum est, num veteres de Panyassidis vita tam multa comperta habuerint, ut scientes in eius vita esse, quod ad ol. 72. 4 pertineret, tamen ol. 75 florentem ascriberent.

Quodsi Panyassis ol. 72. 4 falso ascriptus est, cuinam tempori fuit ascribendus? De hac re magna dubitatio iam non potest esse, quoniam eius florem ol. 75 ascriptum esse certum est. Vidimus enim ad hanc rationem Eusebii testimonium applicatum esse oportere, quod in tabula videtur spatio deficiente ab ol. 75. 1. in ol. 72. 4 remotum esse. Nam saepius, quae ol. 75 ascribi debuerunt, falso tempori vel superiori vel inferiori ascripta sunt. Ac tam multa huic olympiadi ascribenda erant, ut spatium facile deficere posset. Sine ulla igitur audacia aut violentia Panyassin ol. 72. 4 ascriptum ol. 75. 1

---

[1]) l. c. p. 208 annot.

ascribere possumus, praesertim cum non solum ab hac olympiade, sed etiam ab aliis propinquis res ascriptae longius remotae sint.

Sed videamus, quomodo res se habeat. Pindarus quidem et Simonides, quin ol. 73. 2 falso ascripti sint et ol. 75 ascribi debuerint, dubium non videtur. Pindarum enim ol. 75 floruisse veterum consensu constat.[1]) De Simonidis autem aetate dissensio esse non poterat. Quo enim tempore natus esset, ipse indicavit. Et verba οἱ δὲ ἐπὶ τῆς ξβʹ ὀλυμπιάδος e Suidae loco, qui de eius aetate est,[2]) eicienda esse iam supra demonstravimus. Intellegi igitur non potest, quamobcausam olympiadi 73 illi ascripti sint, quos si aequales fuisse in temporum tabula significandum erat, sola ol. 75 apta erat cui ascriberentur. Idem enim significare qui conatus erit, ipse reliquas omnes ineptas esse intelleget.

Nunc ad eos transeo, qui apud Hieronymum ol. 70. 1, apud Armenium ol. 69. 3 ascripti sunt. Ii omnes neutri anno ascribi debuerunt. Hellanicus enim, quem illi tum laude floruisse dicunt,[3]) ab aliis ol. 71 natus fertur[4]) atque est, cur eum etiam multo post hoc tempus natum esse putemus.[5]) Democritus autem, quem et ipsum floruisse illi dicunt, multis annis post ol. 70 natus est, cum se Anaxagora senescente iuvenem fuisse ipse testis sit.[6]) Reliquos, qui loco nominantur, omittimus. Nam locum falso tempori ascriptum esse satis apparet.

Tertium locum de Pindaro affero, qui florens[7]) apud Hieronymum ol. 76. 4, apud Eusebium Arm. ol. 77. 1 ascriptus habetur. His autem annis nisi falso ascribi non potuit. Nam Pindarus tertio se olympiadis anno natum esse ipse dixit ex quo appareret.[8]) Ac florens bello Persico reliquorum consensu ponitur. Accedit vero, quod in Hieronem, qui apud Hieronymum ol. 76. 2, apud Armenium ol. 76. 4 ascriptus ac Pindaro antecedens commemoretur, ab ol. 75. 3 remotum

---

1) cf. Rohde Rh. M. 33, p. 188: „Die Ansetzung der ἀκμή des Pindar auf die Zeit der Περσικά war durchaus stereotyp." — De Simonide cf. Rohde l. c. p. 187.

2) Suid. s. v. Simonidis Jul. — cf. p. 13.

3) Hieronymus: Hellanicus historiografus et Democritus filosofus et Heraclitus cognomento tenebrosus et Anaxagoras fysicus clari habentur. Hellanicum cum his philosophis inepte coniunctum esse manifestum est.

4) cf Diels Rh. M. 31, p. 48 sqq.

5) cf. v. Wilamowitz, Herm. XI, 292 qui eum ol. 81 demum fere natum esse demonstrat.

6) cf. Diels, l. c. p. 27—29.

7) Hieronymus: clarus habetur, Euseb. Arm. (Schoene): florebat (erat).

8) cf. Tycho Mommsen, Pindaros, p. 29 sqq., Bergk, frg. 175.

esse certum est.[1]) Satis igitur habemus, cur Pindarum aut primo aut tertio ol. 75 anno ascribendum fuisse arbitremur. Offendi enim in eo non debet, quod, si recte Eusebium mutavimus, Pindarus ol. 75 bis ascriptus habetur, semel solus, semel cum Simonide coniunctus. Immo cum hae commemorandi rationes et causa et vi diversae sint, res nihil miri habet. Synchronismo enim nihil amplius significatur nisi qui certo tempore fuerint aequales. Ex quo cum intellegi non possit, quo quis tempore natus sit vel floruerit, hoc suis verbis dicendum erat.

Haec exempla ad viros claros attinebant. Accedunt vero alia, quae ad res attinent. Pugnam Marathoniam ol. 72. 3 ascribendam, quam Armenius silentio praetermittit, Hieronymus falso ol. 72. 1 ascribit. Pugnas apud Plataeas et apud Mycalen commissas Armenius parum accurate ol. 75. 3 ascribit, Hieronymus etiam perversius ol. 76. 1. Ille Athenas a Xerxe ol. 74. 2 incensas esse dicit, hic ol. 74. 4, cum in ol. 75. 1 res ceciderit. Aegyptii qui Herodoto auctore (VII, 1) quarto post pugnam Marathoniam (= ol. 73. 3) a Persis defecerunt, apud Armenium ol. 72. 4, apud Hieronymum ol. 73. 1 defecisse dicuntur. Aeginetarum (Arm.: Aegyptiorum) principatus maritimus, quem illi decem annos usque ad Xerxis transitum obtinuisse apud Armenium dicuntur, ab eodem ol. 73. 3 ascriptus est, cum ol. 72. 3 fuerit ascribendus. Fabiorum caedes ab Hieronymo ol. 72. 4 ascripto ol. 75. 4 ascribenda fuit.[2]) Romani in Algido monte obsessi et a Cincinnato liberati, cum anno ol. 80. 3 utendum fuerit, ab Hieronymo ol. 72. 4 ascribuntur.[3]) Gelo Syracusis rerum potitus est ol. 73. 4,[4]) non ol. 73. 1, cui anno Hieronymus rem ascribit, quam Armenius item ac Fabiorum interitum et Romanorum obsessorum liberationem plane omittit. Hieronem, qui dominatum ol. 75. 3 acceperit,[5]) tamen Armenius ascribit ol. 76. 3, Hieronymus ol. 76. 2 et ol. 75. 4.

Plura afferre non opus est. Restat nunc ut, quos annorum numeros ab expectandis abhorrere vidimus, hac tabula comprehendamus.

---

1) cf. Diod. XI, 38. cf. Fast. Hell. ed. Krueger.
2) Fischer, Röm. Zeittafeln, p. 23.
3) cf. Fischer, Röm. Zeittafeln, p. 27.
4) cf. Diod. XI, 38.
5) cf. Diod. XI, 38.

Res.	Eus. vers. Arm.	Hieron.	temp. verum.
Hellanicus historiografus et Democritus filosofus et Heraclitus cognomento tenebrosus et Anaxagoras fysicus clari habentur.	ol. 69. 3	70. 1	multo post
Bellum, quod in Marathone gestum est.	—	72. 1	72. 3
Panyassis poeta habetur inlustris.	72. 4	72. 4	75. 1
Trecenti nobiles Fabiae familiae a Veientibus caesi.	—	72. 4	75. 4
Cum in Algido monte Romani milites obsederentur, a dictatore Quintio Cincinnato liberati sunt.	—	72. 4	80. 3
Mare obtinuerunt Aeginetae (Aegyptii) annos decem usque ad Xerxis transitum.	73. 4	—(67.4)	72. 3
Aegyptus recessit a Dario.	72. 3	73. 1 (2)	73. 3
Gelo obtinuit Syracusas.	—	73. 1	73. 4
Pindarus et Simonides lyrici poetae insignes habentur.	73. 2	73. 2	75. 1
Xerxes cum Athenas venisset, incendit urbem sub principe Callia.	74. 3	74. 4	75. 1
Bellum, quod in Thermopylis gestum est, et apud Salaminam navale certamen.	75. 2	75. 1	75. 1
Bellum in Plataeis et in Mycale.	75. 3	76. 1 (4)	75. 2
Hieron Syracusis regnat.	76. 4	75. 4 et 76. 2	75. 3
Pindarus clarus habetur.	77. 1	76. 4	75. 1 (3?)

Maxima igitur apud Hieronymum et apud Armenium perturbatio est. Neque ullius est momenti, quod Panyassis, cum ab utroque

ol. 72. 4 ascribatur, ab Eusebio eidem anno videtur ascriptus esse. Nam ab Eusebio illi perturbationem acceperunt, quam apud eum tantam fuisse oportet, ut etiam rerum ordo dubius esset, quo Hieronymus et Armenius saepius inter se differant. Apud hunc enim Panyassis post Aegyptiorum defectionem, apud Hieronymum ante eam commemoratur. Pugnas ad Plataeas et ad Mycalen commissas Aeschylo poetae Armenius anteponit, Hieronymus postponit. Apud Armenium Sophocles poeta exsistens nominatur ante Themistoclis ad Persas fugam, apud Hieronymum post eam. Aeginetarum principatum ascribit ol. 73. 4 Armenius, ol. 67. 4 Hieronymus. Ac saepius ille omisit quae, quoniam apud hunc feruntur, apud ipsum Eusebium defuisse non possint. Quae enim Hieronymus de Gelone, de Fabiis occisis, de Romanis in Algido monte obsessis ac liberatis, de pugna Marathonia dicit, apud Armenium desunt, quem ea proptera omisisse existimantes, quod apud Eusebium nimis confusa atque incerta erant, vix erremus.

Quae cum ita sint, facere omnino non possumus, quin Panyassin a suo anno remotum et falso loco insertum esse arbitremur. Neque enim ideo ut ante ol. 75 floruisse videretur nec propter ullam rem in vita insignem nec per synchronismum ol. 72. 4 ascriptus esse potest. Ac plurimas res apud Eusebium ipso hoc loco a suis annis remotas esse vidimus. Qui vero apud Hieronymum post Panyassin commemorantur, Fabii occisi et Romani liberati, item ac Panyassis falso loco inserti ac longe a suis annis remoti videntur esse. Quoniam igitur res complures eodem loco perverso commemorantur, hunc locum quondam idoneum fuisse apparet, qui rebus compleretur, quae deficiente spatio suo loco ascribi non possent. Atque hanc ob causam Panyassis in ol. 72. 4 quin relatus sit, non est cur dubitemus, cum in Eusebii tabula olympiadi 75 tam multa fuerint ascribenda ut facillime spatium deficere posset. In hanc enim olympiadem cadunt, quae commemorantur de Athenis incensis, de pugnis in Thermopylis, apud Salamina, apud Plataeas, apud Mycalen commissis, de Piraeo munito, de Hierone, de Panyasside, de Simonide et Pindaro, de Pindaro florente.

Sed haec hactenus. Satis enim perspicuum est, quam immerito Hieronymi et Armenii testimonio fides habita sit, quam falso illi Panyassin ol. 72. 4 ascripserint. Qui si suo loco reddendus est, ol. 75. 1 ascribi debet.

Postremum est ut quae de Panyassidis aetate demonstravimus, Avieni testimonio ab omnibus adhuc neglecto confirmemus. Id enim

nisi aetatibus re vera multum inter se distantibus veteres Panyassin attribuerunt, intellegi omnino non potest.

Invenitur locus in Avieni Arateis, quo carmine Arati Phaenomena rebus ab Avieno additis amplificata Latine redduntur. Et ab ipso Avieno locus additus est, quem tractaturi sumus. Ab Arato enim compluribus versibus ad Panyassin declinans huic aetate dicit longiore id contigisse ut rerum exordia arcana erueret. Herculis enim draconem interficientis inter stellas imaginem apud Aratum nomine carere, qui ullum esse ipse negaret. Neque ab eodem narrari, quamobcausam Hercules draconem interfecisset. Qua de re Panyassin esse auctorem.

Versus hi sunt:

v. 172—176. Avieni Aratea, ed. Breysig.

Illa laboranti similis succedet imago
protinus expertem, quam quondam dixit Aratus
nominis et cuius latuit quoque causa laboris,
Panuasi sed nota tamen, cui longior aetas
eruit excussis arcana exordia rebus.

Avieni esse haec de Panyasside verba, non Arati iis ipsis apertum est. At unde terrarum Avienus comperit, quamdiu vixerit[1]) Panyassis? De hac enim re nihil veteribus traditum fuisse pro certo habere licet. Neque vero habemus, ex quo appareat inter grammaticos veteres unquam fuisse qui Panyassidis aetatem longam esse declararent. Erravit igitur sine dubio Avienus noster, qui ipse, quomodo error ortus sit, nolens indicat verbis: Cui longior aetas eruit excussis arcana exordia rebus. Haec enim verba, quamvis in loci sententiam conveniant, tamen in Panyassin non conveniunt, ut sublimitate quadam ac doctrinae specie Avieni ignorantiam sunt occultatura. Nam Panyassin rerum exordia arcana eruisse dicere ineptum est nec dici a quoquam potuit nisi qui Panyassidis carmina non legit. Atque unde ea Avienus sumpserit, quae de dracone ab Hercule interfecto Panyassin sequens narrat, ex eo perspicuum est, quod

1) Verbis longior aetas, utrum aetas longinquior vel remotior hoc loco declaretur an vita diuturnior, aliquamdiu dubius fui. Sed illa interpretatio haud dubie reicienda est. Etenim ab Avieni aetate cum non solum Panyassis, sed etiam Aratus longissime distet ac Panyassis ab heroum aetate longius quidem distet quam ut propter aetatis propinquitatem facinora Herculis parum nota eruisse dici possit, altera verborum interpretatio tanto praestat, ut dubitandi nulla sit causa probabilis. Vocabulo aetatis idem declarari posse ac vitae spatium exempla Horatiana docent: Sat. I. 4. 132 (longa aetas). Sat. II. 4. 45.

scholion quoddam [1]) ad Germanici Aratea pertinens, quae ab Avieno neglecta esse non possunt, de hac re omnia continet quae Avienus profert. Qui Panyassidis ignarus, cur longiorem eius aetatem dixerit, iam facile est intellectu. Scire enim cupiens, quo tempore Panyassis vixerit, videtur nescio quem librum evolvisse, ubi eum ab alteris in aetate belli Peloponnesiaci, ab alteris belli Persici positum inveniret. Qua re facile Avienus eo adduci potuit ut longiorem eius aetatem fuisse opinaretur. Atque ita sine dubio evenit ut, quod de Panyassidis tum obscuri aetate nihil scivit, de ea doctrinam recenter paratam obiter ostentaret. Nam doctrinae ostentatio manifesta est, cum sine ulla necessitate ab Arato declinans Panyassin eiusque aetatem Avienus attingat.

Longe igitur re vera inter se distant aetates, in quibus apud veteres Panyassis florens positus est, cuius florem alii posuerint in temporibus belli Persici, alii in primis temporibus belli Peloponnesiaci. Quibus de opinionibus quid iudicandum nobis sit, infra disseremus.

IV. De Panyassidis genere et cum Herodoto cognatione.

Patri Panyassidis nomen fuit Polyarcho, non Diocli, quod nomen a Duride traditum apud Suidam, cum saepius Panyassidis pater nominatim commemoretur, [2]) constanter tanquam improbandum neglegitur. Atque eandem opinionem, quae communis videtur fuisse, Pausanias sequitur. [3]) Quae igitur Duris de Panyassidis patria ac patre tradidit, grammaticorum consensu aeque improbata sunt.

Gente utrum Carica an Graeca Panyassis ortus sit, incertum est. Nomina enim nec Panyassidis ipsius nec Polyarchi patris ad rem iudidicandam quidquam valent. Forsitan in poeta nostro sanguis Caricus cum Graeco mixtus fuerit, ut Halicarnassei iam pridem e Caribus et Graecis erant compositi.

At nobili genere quin ortus sit, dubium propterea non videtur, quod cognatus fuit Herodoti. Is enim Halicarnasseorum nobilium in numero fuisse Suida teste (s. v.) dicitur, cuius testimonium accipiendum esse infra apparebit.

---

[1]) v. 64. Vol. II, p. 42 Buhle. Apud Tzschirnerum l. c. frg. 10.

[2]) s. v. Πανύασις, Πολυάρχου . . Δοῦρις δὲ Διοκλέους τε παῖδα ἀνέγραψε . . . . γέγονε γὰρ Πανύασις Πολυάρχου, ὁ δ' Ἡρόδοτος Λύξου, τοῦ Πολυάρχου ἀδελφοῦ.

[3]) X. 8. 9. Πανύασσις δὲ Πολυάρχου πεποιηκὼς εἰς Ἡρακλέα ἔπη.

De cognatione Panyassidis et Herodoti Suidas solus auctor noster est, qui rem s. v. Πανύασις commemorat. Locum sanequam saepe allatum tamen ita ut dubitatio nulla remaneret, adhuc nemo tractavit. Qui enim rectam viam ingressi sunt, eos ceteri non sunt secuti. Itaque locus etiamnunc vitio manifesto corruptus legitur. Tradita verba haec sunt:

Ἱστόρηται δὲ Πανύασις Ἡροδότου τοῦ ἱστορικοῦ ἐξάδελφος. Γέγονε γὰρ Πανύασις Πολυάρχου, ὁ δὲ Ἡρόδοτος Λύξου, τοῦ Πολυάρχου ἀδελφοῦ· τινὲς δὲ οὐ Λύξην, ἀλλὰ Ῥοιὼ τὴν μητέρα Ἡροδότου Πανυάσιδος ἀδελφὴν ἱστόρησαν.

Singulae quid loci partes sibi velint, dubium non est. Alia enim verborum interpretatio nulla admitti nisi haec potest: Panyassis fuisse traditur Herodoti ἐξάδελφος. Polyarchus enim Panyassidis pater et Lyxes Herodoti pater erant fratres. Sed fuerunt qui Lyxam Panyassidis fratrem esse negarent Rhoeonem, quae Herodoti mater fuit, Panyassidis sororem dicentes. Manifestum est igitur τινὲς δὲ οὐ Λύξην κτλ. verba ad ea, quae antecedunt, non quadrare. Nam Lyxes, quoniam fuerunt qui Panyassidis consanguineum (ἀδελφόν) non illum, sed Rhoionem dicerent, antea Panyassidis pater dici debebat. Cuius rei cum antea mentio fiat nulla, locum vitio aliquo depravatum esse oportet.

Quod cum nemo non videat, locum nemo tractavit quin eum emendare conaretur. Ac duplici quidem modo hoc tentatum est. Alteri [1]) enim vitium in verbis Πανυάσιδος ἀδελφήν latere arbitrati Πολυάρχου ἀδελφήν vel πατραδελφήν restitui voluerunt. Alteri [2]) vitium post verba τινὲς δ' οὐ Λύξην quaerentes verbum ὠνόμασαν vel ἱστόρησαν addiderunt, quo addito hoc verba significarent: fuisse qui Lyxam silentio praetermitterent.

Nobis, quid iudicandum esse videatur, paucis verbis demonstrari potest. Cum enim ex ipso loco satis certe appareat diversas de Herodoti et Panyassidis cognatione opiniones fuisse, quibus id commune intercederet ut ipsa cognatio certa iudicaretur, modus cognationis incertus, testimonium veteribus traditum fuisse oportet, quo illa cognatio constaret, quodque fide adeo dignum videretur, ex quo de cognationis genere coniecturae fierent. Id autem testimonium ab hoc ipso loco haud procul abest. Ipsis enim verbis ἱστόρηται δὲ Πανύασις Ἡροδότου

---

[1]) Heyse, Quaest. Herodot. p. 15; Funcke, Neue Jahrb. f. Phil. u. Paed. 39. 1843. p. 135.

[2]) Tzschirner, l. c. p. 13, ante quem Bernhardyus et Ecksteinius eandem opinionem protulerunt.

τοῦ ἱστορικοῦ ἐξάδελφος continetur, ad quae verba γέγονε γὰρ Πανύασις Πολυάρχου, ὁ δὲ Ἡρόδοτος Λύξου τοῦ Πολυάρχου ἀδελφοῦ ita applicata sunt ut ex illis ea ducta esse etiamnunc appareat. Nam ἐξάδελφος verbo fratris filium significari certum est, cum Phrynichus [1]) id Attice inusitatum verboque ἀνεψιός reddendum esse auctor sit, et quae de illius verbi usu, quod apud nullos scriptores nisi apud seros exstat, praeterea [2]) traduntur, omnia in Phrynichi versionem conveniant. Eo enim verbo qui utuntur, filium aut filiam patrui aut avunculi aut materterae significant. Ad hunc autem verbi usum non solum verba γέγονε γὰρ ...... ἀδελφοῦ, sed etiam quae sequuntur optime quadrant, si Πανυάσιδος verbum mutatur in Πολυάρχου. Quae mutatio in omnem partem probabilis est. Nam ipsum Πανυάσιδος verbum locum legentibus nobis ineptum se praebet neque idem cum verbi ἐξάδελφος usu convenit. At Πολυάρχου verbo restituto locus nec per se inepti quidquam habet nec verbi ἐξάδελφος usui repugnat, sed eandem sententiam praebet, quam certa eius pars plane et aperte indicat.

Docet igitur locus propterea, quod Herodotus Panyassidis ἐξάδελφος traditus sit, ab alteris eorum cognationem a patre Herodoti, ab alteris a matre ductam esse. Quam ad significandam ipsumne verbum ἐξάδελφος, quod apud Atticos inusitatum fuit, antiquitus traditum sit, dubitari potest. Ipsum si traditum est, a nullo quidem scriptore tradi potuit nisi ab Ionico. Sin minus, a scriptore aliquo aetatis posterioris verbi traditi loco substitutum est. Nam de re quidem dubitari non potest, quippe quae ab ipsis veteribus extra dubitationem habita sit. Itaque etiamsi Herodoti et Panyassidis cognatio non a scriptore Ionico tradita sit, tamen rem nudam ad testem antiquissimum ipsiusque Herodoti temporibus proximum redire pro certo habendum est. Optimum igitur de Herodoti vita testem cognovimus, cuius vestigia persequi operae pretium est. Nam complura exstant, quae facile animadvertimus quaerentes, quonam tempore ac loco ea testimonia oriri potuerint, quae de Herodoti rebus Halicarnasseis accepimus.

Eiusdem enim testis vestigia patent magno ac miro earum rerum numero, quae de Herodoti familia traduntur. Ac hanc enim pertinent non solum quae de Herodoti genere nobili eiusque cum Panyasside cognatione traduntur, sed etiam multitudo illa nominum, quae de Herodoti cognatis accepimus, de quibus memoriae proditum vide-

---

[1]) cf. Lobeck, Phrynichus p. 306. ἐξάδελφος· ἀποδιοπομπητέον, ἀνεψιὸς δὲ ῥητέον.

[2]) cf. Stephanum, thes. ling. Graecae. Ut reliqua omittam, unum hoc affero: ἐξαδελφή, ἡ, in Pandect. ἡ θυγάτηρ τοῦ θείου ἢ τῆς θείας.

mus, quod nomen fuerit cognati Panyassidis patri, quod ipsius Herodoti patri, quod eiusdem matri, quod fratri.[1])

Has res omnes excogitatas esse ut de Herodoti vita narratiuncula componi posset, nihil est cur credamus, quanquam mirabilem hanc opinionem Ad. Bauer[2]) protulit. Immo hae res sua probabilitate se commendant nec fictae esse possunt. Nam Herodotus Panyassidis cognatus ideo factus esse, ne ut scriptor ex obscuritate emersus obscuro loco natus atque ignobilis fuisse videretur,[2]) omnino non potest. Nihil est enim, ex quo nobili Panyassin genere ortum esse certe appareat, si Herodoto cognatus non fuit. Qui igitur Panyassis is esse potuit, a quo Herodotus generis nobilitatem acciperet? Cetera vero inter se confirmant. Obscuro enim loco si Herodotus natus esset, de nominibus parentum ac fratris, de eius cognatis vix quidquam esset traditum. Et quod tyrannum expulisse civiumque invidia oppressus patriam reliquisse dicitur, cum eius nobilitate optime concinit. Quodsi Herodoti gens nobilitate atque auctoritate praestitit, non mirum est, quod de ea tradita sunt, quae de scriptoribus tradi non soleant nec tamen speciem habeant rerum fictarum.[3]) Accedit, quod Lyxae et Theodori nomina, quae Herodoti patri et fratri fuisse dicuntur, in titulis Halicarnasseis quinti saeculi inveniuntur. Lyxae[4]) enim nomen extra Halicarnassum non obvium in titulo Halicarnasseo quinti saeculi extremi bis legitur, semel Pigrae cuiusdam filio inditum, semel patri viri incogniti, cuius nomen in δαιος exit.[5]) Theodori[6]) autem nomen in eodem titulo legitur.

Quodsi de Herodoti gente[7]) quae traduntur non excogitata sunt, tradi a nullo potuerunt nisi ab Halicarnasseo, qui Panyassidis et

---

1) Suidas s. v. ʽΗρόδοτος· καὶ ἀδελφὸν ἐσχηκὼς Θεόδωρον. Matris nomen duobus locis traditur. Altero (Suid. s. v. ʽΗρόδοτος) nominis forma est Δρυώ, altero (Suid. s. v. Πανύασις) ʽΡοιώ. Utra praeferenda sit, hoc loco incertum relinquimus.

2) Herodots Biogr. p. 12. 13.

3) Ptolemaei Chenni de Herodoti testimonia per se suspecta, praesertim cum inter se repugnent, neque aequari debent cum iis, quae per se nihil suspecti habent, neque ad ea refellenda quidquam valent.

4) Lyxae nomen Herodoti patri fuisse testes sunt: 1) Lucian. de domo 20. 2) Themistios II. 27. 3) Steph. Byz. s. v. Θούριοι. 4) Suid. s. v. ʽΗρόδοτος. 5) Suid. s. v. Πανύασις. Lyxes igitur veram nominis formam esse satis multorum testium consensu constat ut unius Tzetzae Herodotum Ξύλου vel ʼΟξύλου filium nominantis testimonium suspectum neglegi possit. Idem Tzetzes Panyassidis nomen in Πάνυσις corrupit.

5) Ditt. Syll. No. 6. a. 28. d. 36.

6) Ibid. a. 31.

7) Herodotus nescio an ex eadem stirpe genus duxerit atque Artemisia, Cariae regina, cuius virtutem ac prudentiam ille summa laude celebravit. In titulo enim

Herodoti res ac tempora ipse viderit. Nemo enim alius cogitari potest, qui eas res compertas habuerit memoriaeque prodiderit, ne Duris quidem. Is enim Dioclem Panyassidis patrem fuisse dicit, quod nomen veteres, cum Polyarchi, Lyxae, Rhoeonis, Theodori nomina fide digna existimarent, tanquam falsum reiecerunt. Apud Suidam enim grammaticus ille, qui de Panyassidis et Herodoti cognationem refert, Polyarchi, Lyxae, Rhoeonis nominibus utitur, Dioclis nomen repudiat.

Halicarnasseo quinti saec. extremi Lyxam quendam Pigrae filium nominari vidimus. Qui titulus cum non multo recentior Herodoti aetate sit, magni momenti est, quod haec nomina sunt alterum patris, alterum filii. Scimus enim Artemisiae fratri quoque, qui studiis poeticis operam dedit, Pigrae nomen fuisse. Ex quo cum eundem Pigram intellegamus Lygdamidis filium fuisse, qui Artemisiae fuit pater, non neglegendus ille Herodoti locus videtur esse, quo de Aıtemisiae stirpe verba fiunt. VII. 99. Ἀρτεμισίης δὲ (παραμέμνημαι), τῆς μάλιστα θῶμα ποιεῦμαι ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα στρατευσαμένης, γυναικός, ἥτις ἀποθανόντος τοῦ ἀνδρὸς αὐτή τε ἔχουσα τὴν τυραννίδα, καὶ παιδὸς ὑπάρχοντος νεηνίεω ὑπὸ λήματός τε καὶ ἀνδρηΐης ἐστρατεύετο, οὐδεμιῆς ἐούσης οἱ ἀναγκαίης. οὔνομα μὲν δὴ ἦν αὐτῇ Ἀρτεμισίη, θυγάτηρ δὲ ἦν Λυγδάμιος, γένος δὲ ἐξ Ἁλικαρνησσοῦ τά πρὸς πατρός, τὰ μητρόθεν δὲ Κρῆσσα. Artemisiae enim marito et filio, quae nomina fuerint, ibi non dicit Herodotus datam occasionem neglegens, cum uterque illorum ipso loco commemoretur. At Lygdamidis filiam Artemisiam fuisse et unde a patris parte, unde a matris oriunda fuerit, addere non omittit. Miro igitur modo Herodotus tacitum atque idem loquacem se praebet narrans, quae non expectamus, quae expectamus, reticens. Quibus de causis Herodotum e stirpe Lygdamidis, Artemisiae patris, ortum esse, etsi plura ac graviora documenta non praesto sunt, tamen veri dissimile nobis non videtur. Quae res si ita se habet, Panyassis ut Herodoto cognatus cum Pigra aequali, Artemisiae fratri et propinquitate et studiis poeticis coniunctus putandus est. Eorum igitur virorum cognatorum exemplo Herodotus puer ad studium literarum excitatus videtur, quarum in libro suo se praebet gnarissimum. Ipse vero liber cum illa opinione non pugnat, quo Herodotus, cum diversissimis locis quae narrat usu hominum nobilissimorum comperisse putandus sit, ipse quoque genere nobilissimus indicetur, sicut Suidae testimonio traditur. Deinde vero Herodotus suis verbis II. 143 docet se genere non inferiorem fuisse Hecataeo, qui sacerdotibus Aegyptiis, cum templum Iovis Thebani viseret, maiores suos enumerans sedecimum esse deum dixit. Herodotus enim se suos maiores non enumerasse, cum in illo templo idem quod Hecataeus videret atque audiret, certe non dixisset totamque de Hecataei maioribus narratiunculam aliter flexisset, si maiores, quos enumerare posset, ipse non habuisset. πρότερον δὲ Ἑκαταίῳ τῷ λογοποιῷ ἐν Θήβῃσι γενεηλογήσαντί τε ἑωυτὸν καὶ ἀναδήσαντι τὴν πατριὴν ἐς ἑκκαιδέκατον θεὸν ἐποίησαν οἱ ἱρέες τοῦ Διὸς οἷόν τι καὶ ἐμοὶ οὐ γενεηλογήσαντι ἐμεωυτόν. Denique, si scriptor ille paupertate oppressus praemioque decem talentorum ab Atheniensibus donatus ex Artemisiae stirpe genus duxit, melius verba eius praeclara illa intelleguntur I. 5.: τὰ γὰρ τὸ πάλαι μεγάλα ἦν, τὰ πολλὰ αὐτῶν σμικρὰ γέγονε, τὰ δὲ ἐπ' ἐμεῦ ἦν μεγάλα, πρότερον ἦν σμικρά. τὴν ἀνθρωπηΐην ὦν ἐπιστάμενος εὐδαιμονίην οὐδαμὰ ἐν τὠυτῷ μένουσαν ἐπιμνήσομαι ἀμφοτέρων ὁμοίως.

Ac Pausanias item Panyassidis patrem Polyarchum nominat, non Dioclem. De Theodoro autem Herodoti fratre, quem Suidas solus idemque uno loco commemorat, is quidem auctor existimandus est, ad quem redeunt, quae apud Suidem de reliquis Herodoti cognatis legimus. Quo enim loco Suidas Herodoti fratrem nominat, eodem parentes.

Antiquissimus igitur scriptor fuit isque Halicarnasseus et Herodoti aequalis, qui de eius gente primus tradidit, quae de ea accepimus. Quod si recte se habet, facere non possumus, quin ab eo narratum arbitremur, quidquid veteribus de Panyassidis et Herodoti rebus Halicarnasseis traditum est. Neque enim probabile est has res ad scriptores Halicarnasseos illius aetatis redire complures. A quo igitur veteres acceperunt quae scimus de Panyassidis patre, de eius nece, de eius cum Herodoto cognatione, ab eodem comperta habuerunt nomina, quae Herodoti parentibus fuerunt et fratri, ex eiusdem testimoniis cognoverunt Herodotum apud cives Halicarnasseos in odio fuisse quaeque propter Panyassin et Herodotum de tyrannis Halicarnasseis apud Suidam leguntur. Post Artemisiam igitur Pisindelin, post hunc Lygdamin Halicarnassi dominatum habuisse, Pisindelin Artemisiae filium, Pisindelidis Lygdamin fuisse, ab hoc Panyassin necatum esse, ab Herodoto Lygdamin expulsum Suidas narrat testimonia auctoris referens, quo melior nemo esse possit.[1])

Eius liber quibus de rebus conscriptus sit, res eo traditae docent. Quae cum ad Panyassin, Herodotum, eius parentes ac fratrem, Artemisiam, Pisindelin, Lygdamin pertineant ac de civium nobilium ferant, quae a nullo narrari nisi ab Halicarnasseo aequali potuerint, earum rerum scriptorem oportet literis mandasse suorum temporum res Halicarnasseas.

Nunc ad cognationem Panyassidis et Herodoti revertimur, qui si re vera ἐξάδελφοι fuerunt, aetate non ita distare potuerunt. Itaque videamus, num quid certi de tempore dici possit, quo nati sunt.

Incipiamus a Panyasside, cuius de aetate opiniones duas apud veteres exstitisse cognovimus. Utra nobis probanda sit, dubitare

---

[1]) Sed enim de Herodoti rebus Halicarnasseis non desunt, quae an potius grammaticorum coniectura reperta sint, dubitari potest. Propter Lygdamin enim Herodotum Sami profugum degisse ex aliis testimoniis colligi potest. Ac sine dubio ad grammaticorum coniecturam falsum illud revocare debemus, quod Herodotus Sami degens dialecto Ionica se exercuisse fertur. Ultro autem, non e patria eiectum Herodotum civem Thurium factum esse facile statuere poterat, qui illius aetatis res Halicarnasseas accuratius narratas vel omnino cognitas habuit.

iam non possumus scientes auctoris optimi testimonio tradita esse, quae de Panyassidis nece tradita legimus. Qui quoniam a Lygdamide tyranno necatus esse dicitur, quem ante ol. 81. 3 (= 454) expulsum esse scimus, contrariam opinionem eorum, qui Panyassin Antimachi magistrum et Choerili aequalem fecerunt, improbare debemus.

Quod de Panyassidis aetate haec opinio perversa oriri potuit, nunc mirum non est. Qui enim Panyassidis tempus natale in ol. 78 posuerunt, de Panyassidis nece ante ol. 81. 3 ponenda nihil compertum habuisse possunt. Ab illo autem scriptore ea narrata est, a quo veteres accepisse vidimus, quaecunque de Panyassidis et Herodoti rebus Halicarnasseis tradita habuerunt. Ex quo cum appareat de his rebus omnibus nihil iis compertum fuisse, qui Panyassin temporibus bello Peloponnesiaci floruisse putaverunt, eas diu obscuritate latuisse ac plane ignoratas esse oportet. Itaque fieri potuit ut de aetate falsa opinio oreretur.

Quae opinio, quo fere tempore illis rebus in lucem protractis refutata ac correcta sit, non desunt, quae doceant. Duris enim testimonia scriptoris Halicarnassei, quem statuimus, cognita habuisse non potest, quae si cognita habuisset, Panyassin nec Dioclis filium nec Samium nominasset, sed auctoris illius Halicarnassei testimonia non minus secutus esset quam reliqui omnes. Ex quo apparet a Duride et Panyassin et Herodotum propterea Samios appellatos esse, quod eorum patria tum incognita erat. Cognita enim si fuisset, illius Halicarnassei librum evolvere Duris non omisisset.

At Pergameni, qui temporibus regum Pergamenorum Herodoti statuam in bibliotheca posuerint verbis Ἡρόδοτος Ἁλικαρνασσεύς inscriptam et quod sciamus primi Herodoto Halicarnasseo cognomen dederint, illius scriptoris de Panyasside et Herodoto testimonia non ignoraverunt. Ex quo apparet ea post Durin et ante exitum regum Pergamenorum ad lucem protracta esse. Bibliotheca enim Pergamena, in qua illa statua posita erat, post Durin Eumene altero regnante aedificata [1]) est, cuius regnum aliquanto post Duridis aetatem [2]) ab anno 197 a. Chr. n. incepit. Tertio igitur aut altero a. Chr. saeculo eum vixisse oportet, qui primus illius scriptoris Halicar-

---

1) cf. Conze, Sitzungsberichte d. Berlin. Akad. 1884, p. 1269: Wegener (de aula Attalica p. 51—57) schloss ..... auch mir überzeugend, dass Eumenes II. nach Strabos Worten XIII C. 624 der Erbauer der Bibliothek gewesen ist.

2) Circ. 340—250 a. Chr. n. Cf. nunc Susemihl, Griech. Lit. d. Alexandrinerzeit, Annot. 340, p. 592.

nassei de Panyasside et Herodoto testimonia reddens pervulgavit. In ipsam vero hanc aetatem Apollonius Aphrodisiensis cadit.[1]) Qui cum ut rerum Caricarum scriptor, quas duodeviginti minimum libris tractavit, res Halicarnasseas praetermittere non potuerit, nescio an ex hoc veteres hauserint, quae scriptor Halicarnasseus ille, quem statuimus, de Panyasside et Herodoto narravit. Aptior quidem, qui hunc scriptorem diutissime obscurum ac neglectum eruisse putetur, vix quisquam cogitari potest quam rerum Caricarum scriptor sicut Apollonius in ipsa Caria commoratus.

Cur Panyassis falso tam procul a sua aetate amotus sit, ut in temporibus belli Peloponnesiaci poneretur, disceptare nondum tempus est. Cur autem ol. 78 idonea iudicata sit, cui Panyassis una cum Choerilo ascriberetur, nunc manifestum est. In hac enim tempus natale Choerili recte, Panyassidis falso positum cognovimus, quorum uterque poeta epicus fuit. Unde cum synchronismo eos ita coniunctos esse appareat ut Panyassidis aetas incognita ad cognitam Choerili affigeretur, id unum reliquum est ut quaeratur cur ad aetatem Choerili. Id autem inde apertum est, quod in necessitudinem quandam Panyassin et Antimachum redactos scimus, quo ol. 94 florente Choerilus annis tanto superior fuit, ut Panyassis annis Choerilo par factus Antimachi magister fuisse posset. Dicebatur enim Antimachus Panyassidis auditor. Quod testimonium unde ortum sit, eo apertum est, quod idem Antimachus ab aliis Panyassidis minister fuisse dicitur. Sine dubio enim Antimachus minister in auditorem mutatus est, idquod non sine veri quadam specie fieri poterat, cum Stesimbroti ille fuerit auditor. Et indicat Suidae de hac re testimonium hanc mutandi causam fuisse. Minister autem Panyassidis Antimachus appellari nisi per ludibrium non potuit. Neque eiusmodi ludibrio quisquam eum habere potuit nisi fabularum scriptor de Antimachi aequalis ac laude florentis arte poetica iudicans. Qui igitur Panyassin ol. 78 natum dixerunt, illius ludibrii immeritam rationem habuerunt, quod ad tempus natale statuendum, si praesto meliora fuissent, certe non arcessitum esset. Per se enim tam incertum est, ut eius ratio, quam habitam esse Suidae testimonium plane docet, haberi omnino non potuerit, nisi alter error accessisset, quo ille de Antimachi Panyassidis auditore error confirmari videretur. Qua de re, ubi de duobus Panyassidibus confusis locus est, accuratius disse-

[1]) cf. Geffcken, de Stephano Byz. diss. Gotting. 1886. p. 53 et Susemihl l. c. p. 548, qui eum ante Alexandrum Polyhistorem (= ante a. 100 fere a. Ch. n.) et post annum 266 ponunt.

remus. cf. p. 61. Itaque ex quo tempore Panyassidis poetae vera patria comperta fuit, illud testimonium ab omnibus, in quibus aliquid scientiae fuit, merito neglectum est. Qui enim a Panyasside epicam poesin recreatam dixit, eum Choerili aetate superiorem et Antimachi temporibus mortuum fuisse non ignoravit. Atque illi quoque hoc compertum fuisse videbimus, qui a Panyasside poeta epico disiunxit Panyassin minorem.

Natus quo tempore sit Panyassis, accuratius dici non potest, etsi eum ol. 75 floruisse scimus. Idcircone enim in ol. 75 florens positus sit, quod tum quadraginta annos natum eum fuisse constaret, maxime dubium est. Huic enim olympiadi ascribi ille potuit, etiamsi annus natalis eius nemini cognitus erat. Id quidem intelleget, qui nostrum aetatem Panyassidis certae olympiadi attribuere ipse conatus erit. Sic enim statuemus: Mortuus est Panyassis circa ol. 80. Nec senectute confectus mortem obisse potest, cum ut inimicus timendus tyranni iussu necaretur. Neque vero adolescens tum fuisse potest, cum carmina epica componere, quae in optimorum numero habita sint, non adolescentis sit. Mortuus igitur est aetate provectior. Quare cum appareat eum aliquanto ante ol. 75 natum esse, non dubitabimus huic olympiadi eius florem ascribere, quae cum notior sit reliquis illius temporis omnibus, longe aptissima est qua alicuius aequalis aetas significetur. Ac forsitan veteres hanc olympiadem easdem ob causas delegerint. Nam alias causas quas afferamus probabiles non habemus.

Neque vero minus incertum est, quo tempore natus sit Herodotus. Hunc enim qui ol. 74 natum ferunt, ad eorum rationem se applicant, qui aetatis florem in anno quadragesimo ponentes Herodotum dicebant floruisse, cum Thurii conderentur, qui ol. 84. 1. conditi sunt. Sed de anno natali nihil colligi ex hac ratione potest in eo posita, quod Herodotus in historiae suae initio Thurium se nominavit,[1]) sicut Thucydidis annus quadragesimus in belli Peloponnesiaci initio propterea positus est, quod huius belli historiam conscribere tum se coepisse ipse dicit.[2]) Atque ut propter hanc rationem erratum videtur esse de tempore natali Thucididis, ita Herodoti, qui si paulo ante ol. 81. 3. Lygdamin expulit, ante ol. 74

[1]) Eadem ratione rudissima opiniones eius generis ortae sunt, cuius generis est Plinii (nat. hist. XII. 8), qui Herodoti historiam eodem anno, quo Thurii conditi sunt, Thuriis conditam narrat.

[2]) Thuc. I. 1. ἀρξάμενος εὐθὺς καθισταμένου. — Similem causam ineptam fuisse oportet, qua eorum error ortus est, qui Hellanici florem in ol. 81 posuerunt.

quidem natus videtur esse. Habuerintne vero omnino veteres, ex quo Herodoti tempus natale accuratius intellegerent, dubitandum est.

Quae cum ita sint, nihil est, quod Panyassin et Herodotum eo propinquitatis genere, quod ἐξάδελφος verbo declaratur, coniunctos fuisse negemus. Immo quoniam Herodotus eundem Lygdamin tyrannum expulit, a quo Panyassin necatum scimus, illa cognatio probabilissima est, etsi Herodotus, quem aliquot annis post initium belli Peloponnesiaci mortuum esse constat, circiter triginta annis post Panyassin mortem obiit. Qua ex re, si argumentatio nostra probanda est, nihil aliud de Panyassidis aetate colligi debet nisi, cum interficeretur, eum nondum senem fuisse, sed aetate etiam floruisse.

De ceteris rebus, quae ad Panyassidis vitam pertinent, nihil amplius scimus, nisi Lygdamidi tyranno eum infestum ac timendum fuisse et ab eorum parte stetisse, qui Herodoto duce illum expulerunt, id quod dubium non est, cum a Lygdamide necatus sit. At incerta sunt reliqua omnia, quae de eius vita scire velimus. Incertum esse, num Sami profugus degerit, iam supra diximus. Nec magis liquet, num quae ratio intercedat inter Panyassidis necem et eam legem, quam de novis fundi et domorum tabulis faciundis Lygdamis una cum civibus constitutam iureiurando sanxit. Quae utrum ante Panyassidis necem data sit an post, item dubium est.

V. De Panyasside philosopho.

Nunc eo quaestionis pervenimus, ut quid de Panyasside philosopho [1]) existimandum sit, disceptare possimus.

Librum, quem de somniis ille scripsisse dicitur, revera fuisse Artemidorus testis est eo se usum esse tribus [2]) locis dicens. Partes libri fuisse dicuntur duae. Inscriptus erat, si Suidae fides habenda est, περὶ ὀνείρων. Utrum prosa an versibus scriptus fuerit, incertum est, cum librum parum cognitum habeamus.

1) Suid. s. v. Πανύασις, Ἁλικαρνασσεύς, νεώτερος, φιλόσοφος, περὶ ὀνείρων βιβλία β'.

2) Artem. Onirocrit. I. 2. ed. Hercher p. 9: Ἀρέσκει δὲ ταῦτα καὶ Νικοστράτῳ τῷ Ἐφεσίῳ καὶ Πανυάσιδι τῷ Ἁλικαρνασσεῖ, καὶ γνωριμωτάτοις ἀνδράσι καὶ ἐλλογίμοις.

I. 64. Hercher p. 59. Ἀγαθὸν δὲ καὶ ἐν πηγαῖς καὶ ἐν λίμναις καὶ ἐν κρήναις καὶ ἐν ποταμοῖς καθαρὸν καὶ διειδὲς ἔχουσιν ὕδωρ λούεσθαι, ἀλλ' οὐ νήχεσθαι. Ἐπεὶ τόγε νήχεσθαι πᾶσι πονηρὸν καὶ κινδύνου καὶ νόσου σύμβολον. Τὴν δὲ αἰτίαν Πανύασις ὁ Ἁλικαρνασσεὺς ἐπιμελῶς ἐξηγήσατο.

II. 35, ed. Herscher p. 132. ὡς γάρ φησιν ὁ Πανύασις, ἄπρακτα καὶ ἀσθενῆ ἔσεσθαι τὰ πράγματα τοῦ ἰδόντος προαγορεύει.

Apud Artemidorum in magno honore est. Omnibus enim locis cum laude nominatur. Ac semel ipsis verbis Panyassis somniorum interpres dicitur καὶ γνωριμώτατος καὶ ἐλλόγιμος, quanquam praeter Artemidorum, qui altero p. Chr. saeculo vixit, et Suidam nemo est, qui illius librum commemoret.

Scripsisse eum dicitur philosophus. Hoc mirum videtur, cum nihil ad philosophiam pertinere videatur somniorum interpretatio. Sed alia nunc philosophiae nomine comprehenduntur, alia temporibus imperatorum Romanorum ac postea. Tum enim, cum ipsi philosophi saepius ad superstitionis et artium magicarum studia descenderunt, haec quoque studia philosophiae nomine appellabantur, ut ipse Suidas magnum philosophorum numerum commemorat, qui de prodigiorum interpretatione aut aliis rebus mysticis libros scripsisse ferantur. Quae exempla inveni, affero. Dicitur Africanus in libro κεστοί inscripto tractasse ἐκ λόγων τε καὶ ἐπαοιδῶν καὶ γραπτῶν τινων χαρακτήρων ἰάσεις, Philo librum scripsisse περὶ ὀνείρων, Hermagoras περὶ ᾠοσκοπίας, Theo περὶ σημείων καὶ σκοπῆς ὄρνεων καὶ τῆς κοράκων φωνῆς, Pappus ὀνειροκριτικά, Syrianus de vaticiniis. Neque autem quidquam interest, utrum hi libri genuini omnes fuerint necne. Nam etiam si qui fuerunt suppositi, tamen id, quod demonstraturi sumus, certum est: fuisse qui philosophorum esse arbitrarentur eiusmodi libros scribere. Sed quid plura? In ipso Hesychii onomatologo, quem quidem Suidas reddat, viri celebres ita distributi sunt, ut in philosophorum numero pseudophilosophi omnes habeantur. Quamobrem apud Suidam, quicunque in mysteriorum aut prodigiorum studiis versati sunt, vocantur philosophi. Itaque quemadmodum mystagogi Apollonius Tyaneus, Arignota, Petosiris, Sando, Sotades Atheniensis philosophi vocantur, ita prodigiorum interpretes Tyrannio et Artemidorus [1]) idem, qui Panyassin somniorum interpretem commemorat. Atque eandem ob causam Arignota [2]) scripsisse dicitur τελετὰς Διονύσου καὶ ἄλλα φιλόσοφα.

Quoniam igitur Panyassis propterea philosophus appellatus esse, quod de somniis librum scripsit, et potest et videtur, philosophi appellatio nobis impedimento non est quominus Panyassin minorem, si alia rem postulant, a Panyasside poeta disiunctum ex eoque quasi depromptum iudicemus. A sola enim philosophi appellatione discrimen pendet, quod inter Panyassides poetam et philosophum intercedere videtur, de quo praeter philosophi nomen nihil tradatur, quin

---

1) Suid. s. v. 'Αρτεμίδωρος . . . φιλόσοφος· ἔγραψεν ὀνειροκριτικὰ ἐν βιβλίοις δ' οἰωνοσκοπικὰ καὶ χειροσκοπικά.

2) Suid. s. v.

ad poetam quadret. Halicarnasseus enim aeque poeta ac somniorum interpres fuit, quem Suidas non solus, sed etiam Artemidorus[3]) Halicarnasseum nominet. Νεώτερος autem somniorum interpres dici non potuit, nisi quod Panyassis poeta maior putabatur. Qui cum ab aliis ol. 78 natus, ab aliis multo superior dicatur, duo Panyassides aetate diversi videntur confusi esse, quorum minor idem fuerit ac somniorum ille scriptor. Etiam vero liber, qui de somniis erat, Panyassidi poetae, ut qui τερατοσκόπος nominetur, pari iure tribui ac philosopho potest. Nam ab Hesychio[4]) verbum τερατοσκόπος, quod obsoleverat, verbo ὀνειροκρίτης redditur. Atque Hermogenes[5]) Antiphontem quendam, qui περὶ κρίσεως ὀνείρων librum scripsit, tum τερατοσκόπον, tum ὀνειροκρίτην appellat. Quaecunque igitur de Panyasside somniorum interprete traduntur, philosophi nomen, patria Halicarnassea, aetas minor, libri somniorum interpretes, eadem ad poetam quadrare tam apertum est, ut quin ille cum hoc confusus atque idem disiunctus ab eo habeatur, dubitari omnino non possit, praesertim cum documento gravissimo res confirmetur, quod adhuc reservavimus. Idem enim si Panyassis τερατοσκόπος atque ὀνειροκρίτης fuit, Panyassidi epico ut prodigiorum interpreti eosdem de somniis libros attributos esse necesse est, quos Panyassis minor scripsisse fertur. Et attributos illi re vera esse in ipsa vita, quam tractamus, documentum exstat, quod latet in vocabulo καί. Id enim post verba ἔγραψε δέ, cum omitti deberet, relictum ante haec verba scriptum aliquod Panyassidis epici quondam nominatum indicat, quod nunc sit praetermissum. Cogitari autem de nullo alio potest nisi de libro somniorum interprete, quem nominatum fore propter verbum τερατοσκόπος exspectamus. Nam sicut verba ποιητὴς ἐπῶν ad carmina spectant, quae sub finem vitae nominantur, ita verbo τερατοσκόπος libri mentionem respondere exspectandum est, quam ita factam nunc videmus, ut etiam ordinis verborum τερατοσκόπος καὶ ποιητὴς ἐπῶν ratio haberetur. Nunc quidem, quoniam Panyassis philosophus idem est atque ille, qui τερατοσκόπος nominatur, dubium non est, quin philosophi appellatio in solo somniorum libro posita sit. Quae appellatio, cur ipso hoc loco haudquaquam apto ad viri studia significanda usurpata sit, facile est intellectu, quia saepius eam ita usurpatam cognovimus. Suidae enim auctor cum biographus fuerit, sine dubio Panyassis minor apud

---

1) I. 2. I. 64.

2) s. v. τερατοσκόποι, ὀνειροκρίται.

3) De fig. or. II. p. 497. p. 387 Walz. Testimonium utrumque iam Tzschirn. p. 8. 9 attulit.

Suidam propterea philosophus nominatur, quod illius auctor poetas ac scriptores in genera distribuens somniorum scriptores philosophis adnumeravit.

Ex iis, quae adhuc explicavimus, perspicuum est Panyassidis vitam, quae apud Suidam exstat, e scriptoribus duobus conscriptam esse, quorum alter Panyassin unum, alter duos tradiderit. Qui enim Panyassin epicum de somniis librum scripsisse et τερατοσκόπον fuisse dixit, de Panyasside altero nihil tradidit. Atque iam supra intelleximus ex alio scriptore sumpta esse Suidae verba γέγονε κατὰ τὴν οη' ὀλυμπιάδα· κατὰ δέ τινας πολλῷ πρεσβύτερος, ex alio verba ἦν ἐπὶ τῶν Περσικῶν, quae cum ad illa non quadrent, ei attribuere sine dubio debemus, qui duos Panyassides tradens epici aetatem non incertam reliquit. Illa enim ad tempus natale spectant, non ad aetatis florem, quem haec significant. Qui igitur duos Panyassides tradidit, ex eo sumpta sunt verba ἦν ἐπὶ τῶν Περσικῶν et quae de Panyasside minore feruntur. Ad alterum scriptorem redeunt verba: 1) τερατοσκόπος καὶ ποιητὴς ἐπῶν, 2) ὁ δὲ Πανύασις γέγονε κατὰ τὴν οη' ὀλυμπιάδα· κατὰ δέ τινας πολλῷ πρεσβύτερος, 3) ἔγραψε δὲ καὶ Ἡρακλειάδα et quae praeterea ad scripta pertinent. Reliqua utrum ex hoc scriptore an ex illo sumpta sint, incertum relinquimus.

Duos hos scriptores qui sequens vitam Panyassidis, qualis apud Suidam exstat, composuit, neglegentem se praebet ac parum doctum. Supra enim demonstravimus, quam inepta verba καί γάρ sint, quibus verba ἦν ἐπὶ τῶν Περσικῶν ad ea quae antecedunt adiungantur. Ac simul vidimus, qui inepta illa verba addidit, eum nescisse, quam olympiadem verba ἐπὶ τῶν Περσικῶν declarent. Hoc ignorantiae est ac securitatis. Accedit autem, quod neglegentiae sit. Omittere enim debuit post verba ἔγραψε δέ vocabulum καί, qui librum somniorum Panyassidi minori attribuendum praetermisit. Atque idem debuit verbum τερατοσκόπος omittere, praesertim cum ipse Panyassidi epico ut alterum somniorum scriptorem addiderit, quem verbo τερατοσκόπος significari videtur nescisse.

Sed quoniam illorum scriptorum alter Panyassin somniorum scriptorem cum epico coniunxit, alter non item, quaerendum est, utrum sequi debeamus. Quae res solo verbo νεώτερος satis certe iudicata esset, nisi altera quaestio accederet, quanam de causa Panyassis epicus cum somniorum scriptore coniunctus sit. Neglegentia quidem confusi illi non videntur. Neglegi enim verbum νεώτερος, quo apertissime distinguantur, non potuit. Atque etiamsi scriptum non ipsum legebatur, tamen aetatum discrimen neglegi non poterat,

quod cognitum fuisse scimus, cum epico minor alter Panyassis nominetur. Contra hoc discrimen, cum de epici aetate testimonium duplex relatum sit, neglegi potuit, si in alterum testimonium eius qui minor fuit aetas conveniebat. Confusi igitur si illi hanc sunt ob causam, somniorum scriptorem ut minorem oportet eodem tempore vixisse, in quo epicus falso positus est. Quare Panyassin minorem probabile est in Dioclis filio latere, quem Duris cum Panyasside Polyarchi filio confudit.

At enim exscribens nemo videtur eos confudisse, qui multo potius videantur iam antiquiore tempore viri docti alicuius ex iudicio atque errore confusi. Primum enim τερατοσκόπος verbum, quod Hesychii temporibus obsoletum et ὀνειροκρίτης verbo redditum cognoverimus, non ad serum scriptorem videtur redire. Accedit vero, quod opinionis illius perversae, quae de epici aetate fuit, ultima origo nisi e duobus Panyassidibus confusis intellegi non potest. Quanquam enim etiamnunc perspicuum est propterea ol. 88 delectam esse, in qua flos Panyassidis epici poneretur, quod idem Choerili aequalis Antimachique magister falso putabatur, tamen quaerendum restat, unde hic error ortus sit. Cuius erroris sola quidem causa ludibrium illius fabularum scriptoris, qui Antimachum Panyassidis ministrum induxit, fuisse non potest. Et quoniam Duris, cuius in tempora ille error convenit, ipse Panyassin Polyarchi filium cum Dioclis filio confudit, idem videtur epicum et somniorum scriptorem confudisse. Ut enim Samium, non Halicarnasseum Duris Dioclis filium nominet, altero huius scriptoris errore factum est, quem ipsi veteres intellexerunt. Nam additis verbis ὁμοίως δὲ καὶ Ἡρόδοτον τὸν Θούριον Panyassis Dioclis filius plane Halicarnasseus indicatur, ut de patria somniorum scriptoris, quem testes omnes Halicarnasseum appellent, nulla dubitatio fuisse potest. Quoniam autem de epici aetate falsa opinio fuit, ex qua ille in tempore posteriore poneretur, Panyassis minor cum Panyasside epico in unum coniunctus illiusque aetas in hunc translata videtur aliquando fuisse. Denique vero sine ulla difficultate intellegitur, quamobcausam somniorum scriptor, si fuerunt, qui consilio eum cum epico coniungerent, ab hoc disiunctus sit. Dum enim nihil erat, cur liber somniorum a Panyasside epico abiudicandus videretur, fieri poterat, ut etiam ii, qui illius florem quibusdam e testimoniis non ol. 88, sed tempori multo superiori ascribendum sciverunt, epicum ac somniorum interpretem pro uno haberent, ut, qui apud Suidam de Panyassidis aetate utramque opinionem refert, eos in unum coniunctos reliquit. At ille liber a Panyasside epico abiudicatus est. Qui enim minori eum attribuit, idem epico eum ademit. Itaque simul ac somniorum ille

liber non epici, sed alterius Panyassidis Halicarnassei esse iudicatum est, aliter fieri non potuit, quin libri scriptor a Panyasside epico disiungeretur.

Quodsi Duris eos confudit, sic rem statuere debemus, ut somniorum scriptorem recte disiunctum ab epico putemus, ut liber somniorum a Panyasside quodam Halicarnasseo scriptus vel Duridis aetate vel eiusdem arbitrio Panyassidi epico attributus sit, cum minori alicui attribuendus esset, ut denique iis hanc ipsam ob causam confusis Duris de epici aetate ac patre erraverit. Ex quo intellegitur somniorum scriptorem eo tempore vixisse, in quo Duris falso epicum posuit. Vixit igitur ille temporibus belli Peloponnesiaci, quibus temporibus somniorum libros in usu fuisse constat. Tum enim de somniorum interpretatione Antiphon [1]) quidam librum scripsit. Ac Lysimachus,[2]) Aristidis nepos, eiusmodi librum quaestui habuit.

Sive igitur exscribentis alicuius errore sive Duridis illi confusi sunt, ex utraque opinione somniorum scriptor ab epico disiungendus ac florens ponendus est in priore parte belli Peloponnesiaci. At quae fuit de Panyassidis epici aetate dissensio pluribus testimoniis constat quam ut cuiusquam exscribentis errori tribui possit. Neque igitur quidquam videmus, quod huic de Duride argumentationi repugnet.

Quae cum ita sint, non dubium videtur, quid de eorum opinione iudicandum sit, qui Herodotum arbitrati sunt ad mirum illud prodigiorum et oraculorum studium, quod in eius narratione perspicitur, Panyassidis cognati exemplo excitatum esse. Hic enim prodigiorum peritus duci ipse iam non potest. Panyassis autem somniorum scriptor non solum epico, sed etiam Herodoto minor fuit. Neutrius igitur ulla ratio nobis habenda est inquirentibus, quae illius studii causae fuerint, qua re potissimum excitati ad hanc quaestionem devenimus.

Quis Panyassides confusos distinxerit, incertum relinquimus, quanquam de eo haudquaquam omnia nescimus. Quoniam enim a Duride illos confusos cognovimus, qui Panyassin epicum Samium, Dioclis filium, ol. 78 natum putaverit, ab epico somniorum scriptorem distinxisse nemo potest nisi qui Panyassin epicum Halicarnasseum, Polyarchi filium, belli Persici aequalem, a Lygdamide necatum, Herodoti cognatum esse scivit. Ex quo intellegitur illum post Durin vixisse. Ac plura de eo scimus. Idem enim aut compertum habuit aut demonstravit Panyassin illum, qui de somniis librum scripsit, Halicarnasseum fuisse, idem hunc librum a Panyasside epico scriptum esse negavit, idem huius florem ol. 75 ascripsit, illum in belli Pelo-

---

1) Hermogenes, de orat. fig. II. 11. p. 387 Walz. — Diog. Laert. II. 46.

2) Plut. Arist. 27.

ponnesiaci tempora posuit pariter ac Duris, quippe qui Panyassin somniorum interpretem eidem aetati attribuerit.

Quibus rebus expositis apertum est compluribus de causis perturbata esse quae Panyassidis apud Suidam vita continentur. Ea enim non modo propterea inter se repugnant, quod e scriptoribus duobus sumpta sunt, quorum alter duos Panyassidis tradidit, alter epicum cum somniorum interprete confusum, sed etiam accedit, ut hic scriptor de Panyasside et Duridis sententiam et contrariam, quasi aequi iuris essent, inter se opposuerit. Hinc factum est ut Panyassis epicus atque idem somniorum scriptor nominetur, ut ei carmina epica atque eidem somniorum liber (vocabulo καί) attribuatur, ut ex altera opinione ol. 78 natus dicatur, ex altera multo posterior et a Lygdamide necatus, ut Halicarnasseus, Polyarchi filius atque idem Duride teste Dioclis filius, Samius nominetur.

De Panyasside poeta.

Transeundum nunc est ad Panyassin poetam, de quo etsi plurima iam pridem constant, tamen sunt, quae in quaestionem aut denuo vocanda sint aut omnino non vocata. Itaque cum neque inutile et opportunum videatur componere, quae de Panyasside poeta memoria digna sunt, dicendum nobis est, quae Panyassis carmina scripserit, qualia fuerint, quid veteres de iis iudicaverint, cur perierint, quo tempore Panyassis desierit, quo coeperit poeta notior esse. Quae cognita ac certa sunt, breviter tantum attingemus.

Carmina Panyassidis, ut qui apud Suidam nominetur ποιητὴς ἐπῶν, fuerunt epica. Nomina traduntur duorum. Alteri carmini apud Suidam nomen est Ἡρακλειάς,[1]) apud alios Ἡράκλεια.[2]) Aristoteles[3]) carmina appellans, quae de Hercule essent, nomine Ἡρακληΐς utitur. Quae nominis formae ad Panyassidis carmen appellandum omnes pari iure admitti possunt. Qua enim ipse Panyassis usus sit, nescimus. Neque ulla est, cui similes non inveniantur.[4]) Longe saepissime carmini inditum nomen Ἡράκλεια legitur, quod exemplis sex tradatur, reliquae nominis formae singulis.

---

1) Suid. s. v. Πανύασις ... ἔγραψε δὲ καὶ Ἡρακλειάδα ἐν βιβλίοις ιβ', εἰς ἔπη ,θ.

2) Athen. XI. 469 D. et 498 D. — Steph. Byz. s. v. Ἀσπίς et s. v. Βεμβῖνα. — Hygin, Astr. II. 6. Eratosth. Catast. XI apud Phav. s. v. Καρκῖνος.

3) Poet. VIII. 2. ὅσοι τῶν ποιητῶν Ἡρακληΐδα καὶ Θησηΐδα . . . πεποιήκασιν.

4) cf. Tzschirnerum p. 38. 39, qui de hac re disserens nomina Ἡρακλειάς et Μινυάς et Πριαμιάς et Βυζαντιάς, deinde Ἡράκλεια et Ὀδύσσεια, denique Ἡρακληΐς et Θησηΐς contulit.

'Ιωνικά nomen alteri carmini datur, quod omnino fuisse solum Suidam[1]) auctorem habemus. Eius verbis, si fides habenda est, carmen scriptum pentametro fuit, versuum fuerunt septem milia, tractatae sunt carmine res Codri et Nelei et coloniarum Ionicarum. Nam lectio eorum codicum, qui scriptum habent ἔστι δὲ τὰ περὶ Κόδρου καὶ Νηλέως καὶ τὰς 'Ιωνικὰς ἀποικίας, quasi tertium carmen Panyassis composuerit αἱ 'Ιωνικαὶ ἀποικίαι inscriptum, merito reicitur. Et omnibus formae Κόδρον καὶ Νηλέα nunc acceptae sunt.

At enim pentametro versu carmen scriptum fuisse non potest. Huiusmodi enim versibus, etiamsi tres deinceps proferuntur, rythmi aequabilitate aures animique fatigantur ac fastidio implentur, praesertim in narratione.[2]) Septem vero milia versuum deinceps ad hoc metrum alligare eademque ad narrandum plane absurdum est. Neque Panyassis ille in optimorum epicorum numerum receptus is est, qui metro tam inepto usus esse videatur. Et plerique verbo πεντάμετρον hoc loco notionem insolitam subicientes carmen metro elegiaco fuisse declaraverunt. Sed num hanc sententiam verbi usus admittat, vehementer dubitandum est. Rem demonstrare solus quidem Tzschirnerus[3]) conatus est, qui ex eo, quod τὸ ἐλεγεῖον metrum esse idque πεντάμετρον nonnulli dicerent, solo verbo πεντάμετρον vice versa distichum significari posse conclusit. Quae per se quidem maxime dubia est conclusio. Atque exempla, quae hunc verbi πεντάμετρον usum fuisse doceant, adhuc quidem desunt. Quae enim Tzschirnerus attulit, nihil probant. Sed quid plura? Ne minima quidem carminis fragmenta exstant. Nullum versum, nullum verbum accepimus.[4]) Nec praeter Suidam et, quae eodem redit, Pseudoeudociam carmen quisquam commemorat, quod a falsario aliquo excogitatum iudicantes vix errabimus.

Sola igitur in Heraclea Panyassidis gloria posita est, quo de carmine nunc est dicendum. Versuum fuisse novem milia, libros

---

[1]) s. v. Πανύασις . . . (ἔγραψε) 'Ιωνικὰ ἐν πενταμέτρῳ, ἔστι δὲ τὰ περὶ Κόδρον καὶ Νηλέα καὶ τὰς 'Ιωνικὰς ἀποικίας· εἰς ἔπη ,ζ.

[2]) Magna carmina pentametro scripta omnino non exstant. Quae collecta Tzschirnerus extremo libro suo reddit p. 72—77. cf. p. 33, omnia sunt breviora.

[3]) p. 34. Documentum sumpsit ex hoc loco: τὸ δὲ ἐλεγεῖον μέτρον· τινὲς μὲν πεντάμετρον αὐτό φασιν εἶναι. Schol. ad Hephaest. XI. p. 186. Gaisford.

[4]) Funckius et Tzschirnerus cf. p. 38. idem sine dubio recte sentiunt, quanquam priores plerique nonnulla fragmenta (13, 14, 22 apud Tzschirn.) ad Ionica rettulerunt, Duebnerus etiam frg., quae apud Tzsch. 12 et 24 sunt, ad ea referri posse censuit. Haec fragmenta, qui legerit, nihil esse, quod ad Ionica carmen referri debeant, statim intelleget.

quattuordecim Suidas auctor est. Apud scriptores liber primus bis,[1] tertius bis,[2] undecimus semel[3]) nominatur. Quomodo materia distributa fuerit, nescimus. Unum hoc scimus in primo libro narrata esse, quae ad leonem Nemeaeum[4] et ad iter pertinent, quod Hercules poculo per maria vectus ad insulam Erythiam fecisse dicitur.[5] Quo iure Clemens Alexandrinus[6] Panyassin insimulet e Creophyli Samii Heraclea Oechaliae expugnationem deprompsisse nescimus.

Reliquiae carminis non tantae sunt, quantas fore pro poetae nostri fama insigni exspectamus, etsi versuum, verborum, rerum numerus per se haud parvus servatus est. Ampliora fragmenta quinque sunt, quorum maximum[7] versus 19, secundum[8] 15, tertium[9] et quartum[10] quinos, minimum[11] quattuor continet. Ex his tria in vini laude versantur, cuius virtutes efferens poeta, cum bibendi magistrum praedicet, tamen ne in bibendo modus excedatur, saepius admonet. Reliquorum altero[11] enumeratur, qui deorum e numero in servitute fuerint domino mortali subiecti, alterum nominibus scatens de Tremilo gigante eiusque uxore et filiis est.[10]

Haec fragmenta quantum videmus poetam indicant haud contemnendum, ingenii magni et alacris, imaginibus expressis[12] et cum rerum varietate quadam descriptis[13] insignem, in versuum et verborum compositione pariter artificiosum atque levem et elegantem, omnino artis sine laboris specie studiosum.[14]

---

1) cf. Tzsch. fr. 2 et 7.
2) Tz. frg. 16 et 19.
3) Ibid. frg. 31.
4) Ibid. frg. 2. 3.
5) Ibid. frg. 7.
6) Strom. VI. 2. 25. αὐτοτελῶς γὰρ τὰ ἑτέρων ὑφελόμενοι ὡς ἴδια ἐξήνεγκαν, καθάπερ Εὐγάμων ὁ Κυρηναῖος ἐκ Μουσαίου τὸ περὶ Θεσπρωτῶν βιβλίον ὁλόκληρον, καὶ Πείσανδρος Καμειρεὺς Πισίνου τοῦ Λινδίου τὴν Ἡράκλειαν, Πανύασίς τε ὁ Ἁλικαρνασσεὺς Κρεωφύλου τοῦ Σαμίου τὴν Οἰχαλίας ἅλωσιν.
7) Apud Tzschirn. frg. 17. p. 53. 54.
8) Ibid. frg. 20. p. 56. 57.
9) Ibid. frg. 18. p. 55.
10) Ibid. frg. 15. p. 51.
11) Ibid. frg. 27. p. 63.
12) frg. 17. v. 2—8, 12—16, 18. 19. — 13) frg. 18. frg. 17. 12—16. frg. 27.
14) Longe aptissimi, qui rei documento sint, hi versus nobis videntur esse: Clem. Alex. Protr. II. 35. Apud Tzschirnerum frg. 27. p. 63.

Τλῆ μὲν Δημήτηρ, τλῆ δὲ κλυτὸς Ἀμφιγυήεις,
τλῆ δὲ Ποσειδάων, τλῆ δ' ἀργυρυτόξος Ἀπόλλων
ἀνδρὶ παρὰ θνητῷ θητεύεμεν εἰς ἐνιαυτόν·
τλῆ δὲ καὶ ὀμβριμόθυμος Ἄρης ὑπὸ πατρὸς ἀνάγκῃ.

Sed in animo nobis non est accuratius demonstrare, qualem in fragmentis sese poetam Panyassis praebeat, quem ad cognoscendum atque existimandum ut illa sufficiant, multum abest. Totius igitur quae proprietates ac virtutes fuerint nesciremus, nisi de iis existimatoris veteris iudicium exstaret Dionysii Halicarnassei et Quintiliani testimoniis traditum. Quorum sententias saepe ad verbum inter se convenientes, ut uno conspectu comparari possint, hic inter se opponimus:

Dionys. Hal. τῶν ἀρχαίων κρίσις Π. 2. 3. 4. p. 415 R.	Quintil. inst. or. X. 1. 52—54.
ʽΗσίοδος μὲν γὰρ ἐφρόντισεν ἡδονῆς καὶ ὀνομάτων λειότητος καὶ συνθέσεως ἐμμελοῦς.	Raro assurgit Hesiodus magnaque pars eius in nominibus est occupata; tamen utiles circa praecepta sententiae levitasque verborum et compositionis probabilis, daturque ei palma in illo medio genere dicendi.
ʼΑντίμαχος δὲ εὐτονίας καὶ ἀγωνιστικῆς τραχύτητος καὶ τοῦ συνήθους τῆς ἐξαλλαγῆς.	Contra in Antimacho vis et gravitas et minime vulgare eloquendi genus habet laudem. Sed quamvis ei secundas fere grammaticorum consensus deferat, et affectibus et iucunditate et dispositione et omnino arte deficitur, ut plane manifesto appareat, quanto sit aliud proximum esse, aliud secundum.
Πανύασις δὲ τάς τε ἀμφοῖν ἀρετὰς ἠνέγκατο καὶ αὐτῶν πραγματείᾳ καί τῇ κατʼ αὐτὸν οἰκονομίᾳ διήνεγκεν.	Panyassin, ex utroque mixtum, putant in eloquendo neutrius aequare virtutes, alterum tamen ab eo materia, alterum disponendi ratione superari.

Eos, quamvis simplices videantur, tamen arte atque consilio non carere concedes, ubi cum iis Horatii versus (epod. XVII. 65—69) contuleris et materiae genere et versuum initiis tam similes, ut illum Horatius propemodum videatur imitatus esse:

Optat quietem Pelopis infidi pater,
Egens benignae Tantalus semper dapis;
Optat Prometheus obligatus aliti,
Optat supremo collocare Sisyphus
In monte saxum.

Orationis figuram rei accomodatam esse manifestum est. Ut enim Horatius ad quietis desiderium praedicandum optat verbum bis redintegrat, ita Panyassis

His iudiciis quae de Hesiodi et Antimachi proprietatibus continentur, inter se magnam partem respondent. Quaecunque enim apud Dionysium de iis leguntur, eadem reperiuntur apud Quintilianum. Atque etiam de Panyasside id utriusque iudicio commune est ut Panyassis in eloquendo mixtus ex Hesiodo et Antimacho existimetur. Ex quo apparet Panyassin in eloquendo tum Antimachi more fuisse asperum et gravem inusitatumque sermonem affectasse, tum Hesiodi more simplicem levemque fuisse et abundasse nominibus ac praeceptis. In hoc iudicium fragmenta tradita bene conveniunt, in quibus etsi Hesiodo dicendi genere multo propiora quam Antimacho sunt, tamen color quidam Antimacheus non desit. Exsistit enim in iis non solum verborum compositio simplex ac probabilis, nominum abundantia,[1]) orationis ad praecepta inclinatio[2]), sed etiam gravitas quaedam et interdum verborum remotorum usus.[3]) Deinde Dionysius et Quintilianus in eo consentiunt, ut materia rerumque cohaerentia ac dispositione et Hesiodum et Antimachum a Panyasside superari ferant. Denique ab utroque tres illi eo ordine enumerantur, ut Panyassis postremus nominetur.

Sed quamvis multa eorum testimoniis communia sint, tamen multum abest ut Dionysii verba a Quintiliano reddantur, qui multo plura illo afferat. Ne alia dicam, apud Dionysium desunt, quae Hesiodum describens Quintilianus de nominum et sententiarum praeceptis redditarum copia dicit. In aestimandis vero Panyassidis virtutibus aliter Dionysius iudicat, aliter Quintilianus. Hunc enim si audimus, Antimachi et Hesiodi in eloquendo virtutes Panyassis, etsi coniunctae in eo erant, tamen non aequavit. Contra non inferior illis fuit, si Dionysium sequimur, quippe qui de praestantia eorum nihil commemoret. Neque enim id sine consilio factum esse potest, cum ipso hoc loco commemoretur, quibus rebus Panyassis illis praestiterit. Itaque inter Dionysium et Quintilianum eadem dissensio habetur, quam de Panyassidis pretio atque aestimatione Suidas tradit, quo teste Panyassis ab aliis Homero proximus iudicatus, ab aliis Hesiodo et Antimacho postpositus est. Quae dissensio etiam pluribus testimoniis confirmatur.

---

quinquies τλῆ verbo utitur, ut servitutem ac patientiam gravius significet Martisque impatientiam insuper versus rythmo vehementi depingit. De redintegrationis figura cf. etiam Tz. frg. 18: πᾶσαι, πάντες, πᾶσαι, πάσας et frg. 17. 14—16: ἐν μέν, ἐν δέ, ἐν δ', ἐν δέ.

[1]) Tz. frg. 27.

[2]) Tz. frg. 17. 18. 20.

[3]) cf. Tzschirn. p. 65. frg. 30 a et b et quae p. 27 exponuntur.

Exstat enim testimonium grammatici ignoti, qui eundem Panyassin epicorum optimorum Homero proximum dicit, quem Quintilianus Antimacho et Hesiodo iudicat inferiorem. Quanquam ipse Quintilianus Antimacho secundas esse consensu fere grammaticorum delatas dicens fuisse significat, qui Antimacho secundas non deferrent. Dionysius igitur Panyassidis virtütes omnino pluris aestimasse putandus est quam Antimachi et Hesiodi, quibus cum illum postponat Quintilianus, hoc quidem iudicium e Dionysio certe non haustum est.[1]) Quodsi Quintilianus de horum poetarum aestimatione alium scriptorem ac Dionysium secutus est, ne ea quidem e Dionysio videntur hausta esse, quae de horum poetarum proprietatibus Quintilianus pariter atque ille tradit. Immo quoniam de his Quintilianus nonnihil profert quod apud illum deest, potius ad fontem communem redeunt Dionysio superiorem.

De ipsis igitur Panyassidis poetae virtutibus nullum apud veteres dissensionem animadvertimus, sed dumtaxat de earum aestimatione. De hac autem dissensio fuit quam maxima esse poterat. Quinque enim epici illi, quos praestantissimos Alexandrini delegerunt, tam vario ordine apud grammaticos enumerantur, ut Panyassis in serie non solum alterum et quartum locum teneat, sed etiam tertium et postremum.[2]) Constans et quasi sacrosanctus unius est Homeri locus.

Hac dissensione eorum de auctoritate, qui in numerum epicorum optimorum recepti erant, multum detractum esse nemo est quin intellegat. Ac tanta ut a multis legerentur, eorum auctoritas posteriore quidem aetate fuisse omnino non potest. Nam carmina non solum Panyassidis, sed etiam Antimachi et Pisandri perierunt, qui in illo numero omnes referebantur. Quod igitur Panyassidis carmen illud tanti aestimatum perire potuit, ita mirum non est.

Quibus autem de causis perierit, quaerentibus nobis causae se praebent complures. Primum enim Panyassis, quoniam similiter atque Antimachus inusitato sermoni studebat, non idoneus fuit, quem legerent multi. Quare ut Panyassidis, ita Antimachi carmina perierunt, cuius ne nomen quidem multos scivisse, antequam Hadriani

---

[1]) Contrariam opinionem protulerunt Tzschirner p. 26, qui tamen alia Dionysii verba Quintiliano proposita fuisse arbitratur, et G. Steffen, de canone qui dicitur Aristophanis et Aristarchi, Diss. Lips. 1876, p. 28. 29. Valde doleo, quod Usenerum de his rebus disseruisse (Dionysii Hal. librorum de imitatione reliquiae, Bonnae 1889) serius cognovi quam ut huius quaestionis rationem habere potuerim.

[2]) De hac re Tzschirnerus omnia collegit p. 23. 24.

studio nova laude florere inciperet, Dio Cassius[1]) auctor est. Ac multo minus Antimacho idoneus fuit Panyassis, in quem homines docti studia converterent. Vidimus enim Panyassin non certo eloquendi genere praestitisse, sed Antimachi et Hesiodi virtutes inter se contrarias in eo coniunctas fuisse et mixtas. Quare necessario id evenit ut quibus certum eloquendi genus placebat, ii aut Hesiodum aut Antimachum sibi tractandum sumerent, Panyassin neglegerent. Accedebat, quod Heracleae fuerunt haud paucae. Nam praeter Panyassin Pisander, Diotimus, Phaedimus, Pisinus, Rhianus, alii Heracleas composuerunt. Et qui breviorem de Hercule narrationem legere malebant, iis libri suppetebant idonei ac certe non pauci. Florilegia vero praebebant, quod carminis fuit optimum ac notissimum.

His de causis Panyassidis Heraclea quin magis magisque ad hominum doctorum studia remota paullatim oblivioni daretur aliter fieri non potuit. Ac neglegi videtur prius coepta esse quam pro poetae existimatione exspectamus. Quo enim propius a Dionysii Halicarnassei aetate ad temporum Romanorum exitum accedimus, eo magis Panyassidis notitiam videmus minui. Dionysius quidem, etsi de eo iudicium verbis alienis reddit, tamen ita hoc iudicium profert ut eius ipsius id esse videatur. Ac mirum profecto esset, si Panyassin, qui et ipse Halicarnasseus fuerit, non legisset. At Quintilianusne Panyassin satis cognitum habuerit, ut ipse de eo iudicium ferre posset, dubitandum est. Quae enim de Hesiodo et Antimacho profert, tanquam suum iudicium profert. De Panyasside autem aliorum iudicium a se reddi ipse significat tanquam rei imperitus. Post Quintiliani vero tempora non multi Panyassin legerint. Quanquam enim reperiuntur, qui eius carmen commemorent, tamen plurimi, quae ex eo ferunt, non ex eo ipso videntur hausisse. Ne Athenaeus quidem excipiendus est, qui etsi sexies Panyassin nominat ac complura ex eo fragmenta affert, tamen eum florilegiis usum propter libri eius naturam putare debemus pariter ac Johannem Stobaeum, qui maximum Panyassidis fragmentum nobis tradidit, sed unum. Ac similiter de Stephano Byz. res se habet. Reliquos autem omnes percensere non opus est. De iis quid iudicandum sit, satis apparebit, ubi exemplis quibusdam haud ambiguis demonstraverimus, quam obscurus Panyassis inde ab altero p. Chr. saeculo fuerit.

Primum testem Pausaniam afferimus illum alterius saeculi scriptorem, qui cum plus semel Panyassin commemoret, tamen loco quo-

[1]) 69. 4. 6. Dindorf. Ἀδριανὸς τὸν Ὅμηρον καταλύων Ἀντίμαχον ἀντ᾽ αὐτοῦ εἰσῆγεν, οὗ μηδὲ τὸ ὄνομα πολλοὶ πρότερον ἠπίσταντο.

dam[1]) eum non nominat, quin eum Polyarchi filium fuisse et de Hercule carmen scripsisse addat, quae addita verba simul doctrinae ostentationem indicant et Panyassidis ignobilitatem. Is enim si tum ignobilis non fuisset, addere, quod carmen scripsisset, neque opus erat neque accommodatum.

Alter testis idoneus Avienus est, quarti saeculi poeta. Qui loco de Panyasside in carmen suum recepto ipse nolens docet, quam incognitus sibi Panyassis fuerit, cuius aetatem longiorem dicat. Supra enim vidimus[2]) in hunc errorem incidere Avienum non potuisse, si Panyassidis vitam aetatemque cognitam habuisset eumque legisset. Unde enim sumpserit, quae Panyassis de Hercule draconis interfectore narrat, iam supra diximus.[3])

Non multo post Avienum Macrobius[3]) vixit, cuius aetas circa annum 400 fuit. Hic tertius testis de obscuritate Panyassidis accedit, quem non nominaverit, quin eum egregium scriptorem Graecorum fuisse adderet.

Nec postea unquam Panyassis ex obscuritate emersit. In Stobaei florilegio ad Panyassin non plus unum fragmentum pertinet. Apud Byzantinos vero posteriores, etsi non desunt, qui Panyassidis mentionem faciant, tamen qui in eius studio versatus sit, nemo invenitur. Ac Tzetzes[4]) eum inter epicos praestantissimos enumerans ne nomen quidem recte scit, quod scripserit Πάνυσις.

---

1) X. 8. 5. Πανύασις δὲ Πολυάρχου πεποιηκὼς ἐς Ἡρακλέα ἔπη θυγατέρα Ἀχελῴου τὴν Κασταλίαν φησὶν εἶναι.

2) p. 47. 48.

3) Saturn. V. 21; apud Tzschirn. frg. 8. v. 45. 46. „Poculo autem Herculem vectum ad Ἐρύθειαν Hispaniae insulam navigasse et Pimastis (= Panyassis), egregius scriptor Graecorum, et Pherecydes auctor est, quorum verba subdere supersedi, quia propriora sunt fabulae quam historiae."

Quis sub corrupto Pimastis nomine lateat, Athenaeus XI. p. 469 D nobis indicat, ubi legimus: Πανύασις δ' ἐν πρώτῳ Ἡρακλείας παρὰ Νηρέως φησὶ τὴν τοῦ Ἡλίου φίαλην κομίσασθαι τὸν Ἡρακλέα καὶ διαπλεῦσαι εἰς Ἐρύθειαν. Correctus hic error iam apud Tzschirn. p. 45 exstat.

Qui Panyassidis nomini verba egregius scriptor Graecorum addidit, ab eo nomen recte scriptum esse oportet; nam depravato Pimastis nomini haec verba nemo addere potuit nisi qui mentitus est. Macrobii igitur culpa nomen corruptum esse non videtur, sed ab aliquo aut posteriore aut superiore. Etiamsi autem Macrobius nomen ab auctore suo corruptum acceperit, tamen locus nihilo minus docet, quam ignotus tum Panyassis fuerit, cuius nomen, ubi de Hercule res erat, corruptum accipi a nullo poterat nisi qui Panyassin Herculis cantorem ignorabat.

4) Cramer, Anecd. Gr. III. p. 340. 1.

Ex his testimoniis cum perspicuum sit ex altero p. Chr. saeculo Panyassidis memoriam paene obliteratam esse, non magni ducendum est, quod ipso illo saeculo ac postea Panyassidis interdum mentio fit. Nam etiamsi qui altero ac tertio saeculo Panyassin legerint, tamen poeta notus iam non fuit. Itaque nullius momenti est, quod Clemens Alexandrinus Panyssin saepius commemorat, quem ab eo lectum esse nihil est, cur hanc ob causam arbitrari debeamus. Arnobius[1]) vero, ipsene Panyassin, quem semel nominat, unquam legerit, dubitandum est, quamvis eum nominans docte se gerat. Nam: non ex vobis, inquit, Panyassis unus est, qui ab Hercule Ditem patrem et reginam memorat sauciatam esse Iunonem? Sed hoc dicere absurdum erat, nisi Panyassis tum cognitissimus habebatur. Quod cum credi nullo modo possit, Arnobius noster Panyassin tanquam cognitum ideo videtur attulisse ut de eo quam aptissime doctrinam suam ostentaret. Quam unde hauserit, etiamnunc perspicimus. Nam unum fuisse Panyassin, qui illud fecisset, Heracleam eius legens nemo cognoscere poterat. Tale quid in libris grammaticorum legebatur, quibus Arnobius illius rei scientiam debuisse putandus est.

Quamdiu Panyassis auctoritate floruerit, iam facile est dictu. Quintiliani temporibus, quanquam magni aestimari nondum desitus erat, tamen coeptus erat aliis postponi ac neglegi, ut imperatori Tiberio Rhianus epicus, qui cum alia tum Heracleam item ac Panyassis scripsit, praeter ceteros admirationi fuerat, quae res an Panyassidis auctoritati multum nocuerit, haud scio. Ante Dionysii autem Halicarnassei aetatem, etiamsi cum eo non omnes Panyassidi locum Homero proximum attribuerint, Panyassin oportet poetam fuisse auctoritatis maximae, qua diu est usus. Etenim priusquam ab Aristophane et Aristarcho in optimorum epicorum numerum receptus est, iam pridem fama floruit. Ignobilis enim si fuisset, Duris eius vitam non tractasset, fabularum scriptor ille Antimachi aequalis eum huius dominum non induxisset.

At Antimachi ante aetatem nobile fuisse Panyassidis nomen non potest. Is enim belli Peloponnesiaci aetati, quae eius aetate multo posterior est, attribui non potuit, nisi nomen eius diu fuisset obscurum. Magni igitur poetae famam multo demum post mortem adeptus est, idquod necessarium videtur pro temporum illorum natura, quae obscuritatem talis poetae, qualis fuit Panyassis, quasi postulent. Dum enim antiquorum temporum splendor apud Graecos recentiorum

---

[1]) Adv. gentes 4. 25. Apud Tzsch. frg. 34.

rerum ac recentium magnitudine obscurabatur Choerilique Perseis animos tenebat, Heracleae temporum opportunitate carebant. Itaque quo magis Choerili auctoritas minuitur, eo magis Panyassidis auctoritatem videmus augeri, qui Platonis aetate, cum Choerili carmen summa laude floruit, multis placuisse non potest. Nam contra omnium fere iudicium a Platone Choerilus Antimacho postpositus est, quem artis poeticae ratione Panyassidi propinquum fuisse cognovimus. Atque etiam Duridis et Callimachi[1] aetate pro malo existimatore habebatur, qui Choerilo Antimachum anteponebat. In optimorum autem epicorum numerum Panyassis et Antimachus non relati sunt, quin Choerilus praetermitteretur.

Hinc satis apparet, quam dubium sit, num quid Panyassidi Choerilus in arte poetica debuerit, quem ii quidem Panyassidis exemplo non impulsum iudicaverunt, qui eos arbitrabantur aetate fuisse pares. Immo Choerilus, si modo cognitum illum habuit, consilio in artis poeticae ratione eius adversarius exstitisse putandus est, ut ad suum arbitrium inauditam ac recentioris temporis materiam carmine tractavit. Itaque etsi Panyassis exstinctam poesin epicam recreasse dicitur, tamen pro certo nihil amplius haberi potest nisi inter Panyassin et epicos superiores spatium longius intermissum esse.

Contra Antimachus, quin Panyassin quasi exemplar sibi proposuerit multisque in rebus imitatus sit, dubitari non potest, quoniam imitator eius ab ipsis veteribus suisque aequalibus iudicatus est. Ac plures eius imitatores fuerint illo tempore, cum poetae egregii laude florens in canonem Alexandrinorum receptus est.

Sed quamvis magna apud poetas et grammaticos auctoritas eius fuerit, tamen a ceteris non multum lectus videtur esse. Id enim ex ipsius carminis ab eo scripti natura intellegendum est, cum elocutio saepe Antimachi more fuerit aspera minimeque vulgaris, materia tractata sit ab aliis multis. Et inveniuntur fragmenta servata omnia apud scriptores aut grammaticos aut his propinquos. Magnae igitur ac diuturnae auctoritatis poeta fuit Panyassis, sed parum lectus.

---

[1]) Proclus ad Timaeum I. 28. C. Ἡρακλείδης γοῦν ὁ Ποντικός φησιν ὅτι τῶν Χοιρίλου τότε εὐδοκιμούντων Πλάτων τὰ Ἀντιμάχου προὐτίμησε .... μάτην οὖν φληναφοῦσι Καλλίμαχος καὶ Δοῦρις ὡς Πλάτωνος οὐκ ὄντος ἱκανοῦ κρίνειν ποιητάς.

VII. Summa.

Reliquum est ut, quae hac quaestione nobis videntur demonstrata esse, paucis verbis comprehensa enumeremus.

Nomen Panyassidis, quod Halicarnassi frequentius extra hanc urbem nemini fuit, quem cognitum habeamus, pro Carico haberi debet. Documentum gravissimum est υασσις exitus in nominibus Caricis multis obvius, quae nominis pars et ipsa nomen personale fuit nomini locali Οὐασσός respondens. Elementum, quod ante ις terminum est, cum ore Graeco recte concipi non posset, literis diversis significabatur. Ͳ litera nusquam nisi inter semibarbaros usurpata, cuius loco non modo σσ, sed etiam haud raro σ et ξ literae scriptae leguntur, significatione atque usu sola videtur ei plane respondisse. Cum ΠανύαͲις forma in titulo Halicarnasseo tradita ipsiusque Panyassidis poetae aetate obvia ceteris omnibus antiquior ac potior sit, ad hanc nomen scribentes nos applicare debemus. Neque igitur interest, utrum Πανύασσις an Πανύασις an Πανύαξις nomen scribamus, etsi prima nominis forma nunc quidem sola tituli auctoritate confirmatur.[1])

De vita Panyassidis epici, quaecunque veterum testimonia reicienda sunt, Durin[2]) videntur auctorem habere, qui illum, quem natu maiorem cum Panyasside Halicarnasseo, Dioclis filio, somniorum scriptore, natu minore confuderit, non solum Dioclis filium ac Samium tradidisse iudicandus est, sed etiam epicum ac somniorum interpretem, Choerili aequalem aetate parem, Antimachi magistrum. Nam illo errore haec omnia continentur. In olympiade 78 utrum Panyassin nascentem Duris ipse posuerit an posterior aliquis, incertum relinquimus. Qui quidem hanc olympiadem delegit, obstrictus eodem fuit errore, quo Duris. Samium is Panyassin errore duplici nominavit, cum Panyassidum illorum neuter Samius fuerit nec Samius magis aut aptius appellari potuerit quam Herodotus, quem idem Duris Samium appellavit.[3]) Hanc ob causam Duridis testimonium de patria non audiendum esse veteres ipsi intellexerunt. Antimachum Panyassidis ministrum ioci causa excogitavit fabularum scriptor Antimacho aequalis.[4])

Quidquid autem testimoniorum de Panyassidis epici vita traditorum nobis probandum est, traditum ac profectum videtur a scriptore

[1]) cf. p. 7—12.

[2]) Quo in libro Duris Panyassin tractaverit, incertum relinquimus. Pro certo quidem haberi potest eundem librum fuisse, quo ille Antimachum, Choerilum, Herodotum tractavit.

[3]) p. 19. 61. — [4]) p. 55. 22—25.

Halicarnasseo, qui Panyassidis et Herodoti aequalis suorum temporum res Halicarnasseas literis mandasse putandus est.[1]) Cuius scriptoris testimonia ac Duridis cum contraria essent nec ulla ratione inter se convenirent, id evenit, quod factum apud Suidam videmus, ut biographi aut nullo arbitrio utriusque testimonia inter se opponerent aut a Panyasside epico somniorum interpretem ut diversum distinguerent, qui distinctus illo minor dicebatur. Nam qua in aetate Duris Panyassin suum posuerat, in hac positus Panyassis somniorum interpres mansit, alter Panyassis, qui epicus fuit, florens aetati belli Persici multo superiori attributus est.[2]) Cui attributus dicebatur Polyarchi filius, Herodoti cognatus, Halicarnasseus, a Lygdamide necatus. Quae testimonia cum a scriptore Halicarnasseo ipsiusque Panyassidis aequali profectae videantur nec veri dissimile quidquam habeant, omnia sunt accipienda.[3])

Tres igitur opiniones in iis exstant, quae de Panyassidis vita biographi nobis tradiderunt. Prima est Duridis, qui Panyassin epicum falso in aetate Panyassidis somniorum interpretis cum illo confusi posuit. Altera est eius, qui hos in unum item coniungens, sed reliqua omnia dubia relinquens Duridis sententiam una cum iis testimoniis reddidit, quorum origo e scriptore illo Halicarnasseo ducenda est. Tertia est eius, qui Duridis errore perspecto· Panyassin epicum a Panyasside somniorum interprete distinxit illum natu maiorem, hunc minorem dicens.[4]). De cognatione Panyassidis et Herodoti ab hoc nihil amplius traditum est nisi quod Suidae verbis continetur: ἱστόρηται δὲ Πανύασις Ἡροδότου τοῦ ἱστορικοῦ ἐξάδελφος. De ea quae praeterea apud Suidam traduntur, pro autoschediasmate habenda sunt. Suidae verba corrupta τινὲς δ'οὐ Λύξην, ἀλλὰ Ῥοιώ, τὴν μητέρα Ἡροδότου, Πανυάσιδος ἀδελφὴν ἱστόρησαν ita corrigenda sunt, ut pro Πανυάσιδος verbo Πολυάρχου verbum restituatur.[5])

De Panyassidis tempore natali nihil constat nisi aliquanto ante ol. 75 eum natum esse in qua florens positus sit.[6]) Necatum eum non multo ante ol. 81. 3 esse necesse est. Nam non multo ante hoc tempus, quin dominatum Halicarnassi susceperit Lygdamis atque idem ab Halicarnasseis eiectus sit, cum Kirchhoffio non dubitamus, quanquam ab hoc dissentientes titulum qui Lygdamidis vocatur antea scriptum esse, non postea quam Lygdamis ab Halicarnasseis expulsus est, arbitramur.[7]) Lygdamin enim tyranni potestatem Halicarnassi habuisse et Pisindelidis filium, Artemisiae hunc

---

[1]) p. 50—53. — [2]) p. 62. — [3]) p. 53. — [4]) p. 60—63. — [5]) p. 53. — [6]) p. 56. [7]) p. 25—28.

fuisse nihil est quod negemus,[1]) quae res immo videntur narratae esse ab eo scriptore Halicarnasseo, quem supra diximus.[2])

Huius scriptoris testimonia etiam Duridis temporibus incognita fuerunt. Is enim Panyassidis epici, quem a Lygdamide necatum ille tradidit, ne aetatem quidem cognitam habuit,[3]) quae si antiquitus cognita fuisset, Panyassis epicus nunquam falso pro Antimachi magistro habitus,[4]) nunquam florens in belli Peloponnesiaci aetate positus ac Choerili Samii aequalis iudicatus esset.[5]) Ignorans igitur veram patriam Duris Panyassin Samium nominavit, ut Herodoti patriam ignoravit.[6]) Quem natu Halicarnasseum fuisse cum Pergameni sciverint in Herodoti statua regum Pergamenorum aetate, cum bibliotheca iam aedificata fuit, verba Ἡρόδοτος Ἁλικαρνασσεύς inscribentes,[7]) post Durin quidem illius scriptoris Halicarnassei testimonia eruta esse idque ante exitum regum Pergamenorum necesse est. Eruta igitur sunt inter annos 250 fere et 133 a. Chr. n. Qua in aetate cum Apollonius Aphrodisiensis rerum Caricarum scriptor ponendus sit, cui res Halicarnasseas narranti Pisindelis et Lygdamis tyranni commemorandi erant, forsitan hic scriptor ea eruerit.[8])

Posteaquam Panyassis epicus semel non modo aetate, sed etiam persona Panyassidis somniorum interpretis in se translata a belli Persici aetate in belli Peloponnesiaci tempora promotus est, res ipsa flagitabat, ut conflatus hic Panyassis ad Choerili ol. 78 nati aetatem adiungeretur. Hic enim epicus ipse quoque fuit eiusque aetas ab Antimachi tantum distabat, ut Choerilo affixus Panyassis Antimachi ol. 84 nati magister esse posset, cuius magister fuisse propterea videbatur, quod Antimachus aliqua suae aetatis comoedia Panyassidis minister inductus erat.[9]) Coniungi autem Panyassides epicus et somniorum interpres in unum non potuerunt nisi somniorum liber ab hoc scriptus falso illi attributus esset, quae causa erroris ac perturbationis omnium prima putanda est.[10]) Altera fuit illa, quod de Panyassidis epici vita diu nihil certi cognitum erat.[11])

De Panyassidis aetate quaestio maxime impeditur tribus testimoniis corruptis. Eorum id, quod apud Suidam s. v. Πανύασις legitur, ita dissolvendum est, ut verba καὶ γὰρ ἦν ἐπὶ τῶν Περσικῶν ab iis, quae antecedunt, disiungantur.[12]) Verba enim ἦν ἐπὶ τῶν Περσικῶν, quibus nullum aliud tempus nisi ol. 75 significatur,[13]) manu posteriore addita verbisque ineptis καὶ γάρ adiuncta sunt ad ea, quae antecedunt.[14])

---

1) p. 29—30. — 2) p. 53. — 3) p. 54. — 4) p. 22. 55. — 5) p. 38—41. — 6) p. 19. 20. — 7) p. 17. 54. — 8) p. 54. 55. — 9) p. 55. 23. — 10) p. 62. — 11) p. 54. — 12) p. 38. — 13) p. 31—33. — 14) p. 34. 35. 38.

Eiusmodi de aetate locos corruptos apud Suidam multos esse demonstravimus.[1])

Qui locus de Panyassidis aetate apud Suidam s. v. Χοίριλος legitur, ita dividendus est, ut prior pars Choerilo Samio detur, posterior Choerilo comico, quem apud Suidam cum Samio et Iaseo confusum esse Pseudoeudociae verba quaedam docent apud Suidam nunc omissa.[2])

Testimonium Eusebii Arm. et Hieronymi, qui Panyassin ol. 72, 4 ascribunt, nullius momenti est nec accipiendum. Falso enim Panyassin huic tempori ascripserunt, qui ol. 75 ascribi debuit, ut in illorum tabulis de hac olympiade et proximis maximam esse perturbationem ostendimus.[3])

Quae testimonia ad Panyassidis epici aetatem pertinent, eorum genera sunt duo haec, ut Panyassis florens aut ol. 88 aut ol. 75 ascriptus habeatur. Tertium genus non invenitur. cf. p. 38. 41. 46—47.

Genere Panyassin nobili ortum putare debemus, quod Herodoti cognatus fuit, qui Halicarnasseus e nobilium numero fuisse traditur.[4]) De eo enim quae veterum testimonia ad Halicarnassum spectant, fide digna putanda sunt, cum ex eodem fonte Halicarnasseo aut hausta aut ducta sint, e quo de Panyassidis vita quae fide digna sunt omnia manaverunt.[5]) Qua de causa quam diu Panyassidis origo Halicarnassea incognita fuit, tam diu Herodoti. Cui in libri sui initio, ut in scriptorum grammaticorumque sermone diu non Halicarnasseus, sed Thurius appellabatur, diu Thurio cognomen fuit, cuius loco Halicarnassei cognomen sero demum scribi coeptum est.[6]) Cum enim libellus ille de Herodoti malignitate conscriptus est, Herodoto id cognomen dare tam inusitatum fuit, ut illo tempore in libri Herodotei initium id aut recenter aut omnino nondum receptum esse oporteat.[7]) Itaque Herodoti liber non obstat quominus Suidae verba corrupta ὁμοίως δὲ καὶ Ἡρόδοτον Θούριον, sicut cognominum Herodoto inditorum usus postulat, in ὁμοίως δὲ καὶ Ἡρόδοτον τὸν Θούριον mutemus.[8]) Quibus sic emendatis Herodotum Samium a Duride appellatum esse apparet, quia Duridis temporibus, quae Herodoti vera patria esset, nondum fuit compertum.[9])

Qui Panyassis Herodoti cognatus fuit, non idem est ac Panyassis τερατοσκόπος,[10]) quo verbo nihil aliud significetur nisi somniorum interpres.[11]) Philosophus apud Suidam Panyassis ille somniorum inter-

---

1) p. 35—38. — 2) p. 38—41. — 3) p. 41—47. — 4) p. 48. — 5) p. 48—53. 6) p. 14—17. — 7) p. 16. — 8) p. 18. — 9) p. 18—20. — 10) p. 62. — 11) p. 59 Hanc rem iam Tzschirnerus demonstravit p. 8. 9.

pres nominatur, quod apud eundem artium mysticarum studiosi omnes hoc nomine comprehenduntur.[1]) Cuius usus causa videtur illa fuisse, quod apud Suidae auctorem viri illustres generatim enumerati illique superstitiosi philosophorum generi attributi sunt.[2]) Somniorum liber, quem Panyassis scripsit, a somniorum interpretibus magni aestimatus est.[3]) Prosa an versibus scriptus fuerit, incertum.[4]) Scripsit eum Dioclis filius, Halicarnasseus, non Samius.[5])

Panyassidis epici carmen Ἰωνικά inscriptum commenticium videtur neque ullum unquam fuisse. Si fuit, neglectum est. Inter Panyassidis fragmenta est nihil, quod referri ad id debeat.[6]) Sola igitur Heraclea Panyassis poetae magni famam adeptus est. Cuius carminis, si usus famae respondisset, multo plura fragmenta exstarent.[7]) Materia quomodo in eo distributa fuerit, parum constat.[8]) Ad artem quod attinet, Panyassis in fragmentis servatis poetam se praebet facilem et elegantem atque eundem arteficiosum.[9]) E veterum iudicio, quod solum sequi debemus, inaequabilis eloquendi genere fuisse putandus est, quod ex Hesiodo et Antimacho mixtum dicatur.[10]) Verum quod carmen magis magisque neglectum est, non sola haec causa fuit, sed etiam materia ab aliis multis tractata et de carminis virtutibus aestimandis grammaticorum dissensio.[11]) Dionysius eorum est, qui Panyassidi inter epicos ab Alexandrinis delectos alterum locum dederunt. Quintiliani ex iudicio, cum Antimacho et Hesiodo postponatur, Panyassis locum quartum tenere putandus est.[12]) Quae Dionysius et Quintilianus de Panyassidis poetae proprietate referunt, ad fontem communem redeunt, quae apud eos ad eius virtutes aestimandas pertinent, non item.[13]) Auctoritatem Panyassis nactus est aliquanto demum post mortem.[14]) Choerili enim Samii aetati falso attribui aliter non potuit. Is potius adversarius eius exstitit quam sectator. Ac diutissime ei impedimento fuit, quominus in gratiam veniret.[15]) Ex Antimachi autem temporibus, qui eum exemplar sibi proposuit, usque ad Quintilianum fere laude floruit.[16]) Postea magis magisque neglecti et oblivione obruti iam altero p. Chr. saeculo memoria tantopere obliterata fuit ut nomini eius addere, quod carmen scripsisset, non inutile videretur. Atque inde obscurus mansit.[17])

Quae de eo Suidas tradit, ad scriptores duos redeunt, quorum alter unum Panyassin tradidit epicum et somniorum scriptorem ita confundens, ut et Duridis sententiae et alterius contrariae rationem haberet, alter duos tradidit somniorum interpretem ab epico distin-

---

1) p. 58. — 2) p. 59. 60. — 3) p. 58. — 4) p. 57. — 5) p. 61. — 6) p. 64. 7) p. 65. 72. — 8) p. 65. — 9) p. 65. — 10) p. 66—68. — 11) p. 68. — 12) p. 67. 68. — 13) p. 68. — 14) p. 71. 72. — 15) p. 71. 72. — 16) p. 71. — 17) p. 69. 70.

guens.[1]) Neque ea inter se coniuncta sunt sine manifesta ignorantia ac neglegentia.[2]) Plane eadem cum ratio eius fuerit, a quo Suidae de aetate locos multos inepta partium coniunctione depravatos vidimus, eiusmodi apud Suidam vitia uni debemus attribuere atque eidem, qui Panyassidis vitam composuit scriptores duos simul excerpens.

Eorum testimonia nunc permixta iam magnam partem ita discerni possunt ut perspicuum sit utro ex fonte manaverint. Quae de Panyasside minore dicuntur et verba ἦν ἐπὶ τῶν Περσικῶν ex eo scriptore sumpta sunt, qui Panyassides tradidit duos verba γέγονε γὰρ . . . . πρεσβύτερος ex altero sumpta sunt, qui Panyassin tradidit unum. Ad eundem redeunt verba ἔγραψε δὲ καὶ Ἡρακλειάδα et verbum τερατοσκόπος. Contra illi attribui debent, quae ad Panyassidis patrem, patriam, necem Herodoti cognationem pertinent. De his enim rebus cum dubius non fuerit, qui eas rettulit, idem duos Panyassidis tradiderit eosque accurate distinctos necesse est. Ad verba Πανύασις Πολυάρχου apud hunc scriptorem adiuncta fuisse verba Δοῦρις δὲ κτλ., quae nunc separata sunt, iam per se patet. Quomodo distribuenda inter duos illos scriptores sint, quae non commemoravimus, parum liquet. Qui verba ὁμοίως δὲ καὶ Ἡρόδοτον τὸν Θούριον primus scripsit, eius aetate Herodotum Halicarnasseum appellare nondum usitatum fuit.[3])

[1]) p. 60—63. — [2]) p. 60. — [3]) p. 19.

Materiae dispositio.

Vita mea.

Natus sum Kal. Febr. 1857 in urbe Vimarana, cui nomen est Neustadt an der Orla. Primo in scholis patriae, tum in gymnasio Schleizensi eruditus sum. Anno 1875 maturitatis testimonium adeptus in academiam me contuli. Tres annos Ienensem frequentavi, tres Gottingensem studiis deditus philologis et historicis, ad quae me praecipue instituebant viri doctissimi Arthurius Boethlingk, Bertholdus Delbrueck, Carolus Dilthey, Alfredus de Gutschmid, Heinricus Nissen, Erwinus Rohde, Adolfus Schmidt, Mauritius Schmidt, Hermannus Sauppe, Dietricus Schaefer, Iulius Weizsäcker. Primum eorum annorum, quos Ienae commoratus sum, militabam. Complures annos studia mea morbo iacebant interrupta aut impedita. Anno 1885 ad gymnasium regium Verdense delegatus atque hinc eodem anno vocatus sum ad urbis Hannoverae gymnasium regium, quod dicitur imperatoris Guilielmi, cuius magistrorum in numero etiamnunc sum.